

### [35a] Distinctio prima

Circa distinctionem primam, in qua magister distinguit ea de quibus sunt doctrine. Quedam enim sunt signa, quedam vero res. Rerum autem, quedam sunt quibus est utendum, quedam quibus fruendum, quedam quibus utuntur et fruuntur. Et quia signum refertur ad significatum, et uti est actus relativus per quem anima illud quo utitur refert in alterum, ideo querendum de actu animae relativo et comparativo.

Et quia actus intellectus priores sunt actibus voluntatis, ideo quero primo utrum omnis intellectus cognoscens formaliter ens medium in respectu ad finem intelligat utrumque unico actu simplici.

Quod non, quia intelligit illa distincte et ut distincta. Igitur, non unico actu. Consequentia probatur, quia que unico actu intelliguntur, secundum quod huiusmodi apprehenduntur indistincte, quia unico conceptu indistincto in quo comunicant.

Contra: per actum relativum et comparativum extremorum non concipitur neutrum extremorum, nec alterum tantum, quia non esset ratio de hoc magis quam de illo. Igitur, utrumque.

Notandum: hic accipio actum intelligendi simplicem non per negationem compositionis ex partibus eiusdem rationis facientibus per se unum extensive vel intensive, sed per negationem aggregationis ex pluribus actibus alterius rationis, vel ex pluribus actibus non facientibus per se unum quomodo conceptus correspondens isti termino "albedo" dicitur "conceptus univocus simplex".

Item, non loquor de simplicitate vel compositione obiectiva, sed de intrinseca et formali simplicitate actus intelligendi in essendo secundum suam realitatem.

Prima conclusio: omnis actus intellectus creatus comparans formaliter aliquod obiectum in relatione vel habitudine ad alterum habet formaliter aliquem conceptum relativum et comparativum et distinctum totaliter a conceptibus absolutis illorum obiectorum vel aliorum.

Probatur: Habeat intellectus conceptum proprium absolutum albedinis, qui sit a, et proprium conceptum absolutum nigredinis, qui sit b. Probo quod per a et b non cognoscit formaliter

intellectus hoc obiectum relative in habitudine ad illud, sic per illos actus non cognoscit formaliter intellectus hoc obiectum in relatione et comparatione ad illud. Quibus positus, in anima stat intellectum nihil intelligere vel cognoscere relative et comparative, sed tantum absolute. Sed sic est quod, habendo a et b, stat quod non comparet album ad nigrum, sed tantum apprehendendo plura absolute, sicut visus videndo plura simul non comparat ex hoc unum alterum, nec cognoscit unum formaliter referendo ad aliud.

Confirmatur: si a precise esset in intellectu, non cognosceretur albedo relative et comparative ad aliud, sed tantum absolute. Et si b esset precise in intellectu, non cognosceretur formaliter nigredo in habitudine et relatione ad aliud, puta ad albedinem. Igitur, si a et b precise sunt in intellectu, non cognoscitur formaliter albedo comparative in relatione ad nigredinem, nec e contra, sed tantum apprehenduntur quedam due res mere absolute. Consequentia probatur, quia si ipsi a preexistenti in intellectu adveniat b, non ex hoc concipitur albedo aliter quam prius; quia per b non concipitur albedo, sed tantum nigredo. Igitur, propter adventum solius b, non concipitur aliter albedo quam prius, puta relative. Intellectus enim apprehendens aliquod obiectum non ex hoc concipit illud aliter, propter sola additionem actus, [35b] qui nullo modo est cognitio illius, stante priori actu uniformiter.

Confirmatur: albedo non cognoscitur per aggregatum ex a et b primo et se toto vel quolibet ipsius, sed primo per partem ipsius, quia per aliam partem non cognoscitur. Igitur, si per partem eius non cognoscitur albedo relative, sed tantum absolute, sequitur quod per illud aggregatum non cognoscitur albedo nisi absolute.

Confirmatur: terminus vocalis absolutus non fit relativus, nec significat relative propter additionem alterius termini absoluti. Similiter de conceptu absoluto cui subordinatur in significando, quia non minus significat immutabiliter quam naturaliter.

Preterea, si a et b precise existentibus in intellectu, cognoscit formaliter intellectus hoc relative et comparative ad illud, aut igitur quamlibet habitudinem secundum quam hoc potest cognosci veraciter in habitudine ad illud, puta secundum habitudinem dissimilitudinis inequalitatis vel equalitatis, et sic de variis huiusmodi habitudinibus; aut in aliqua habitudine tantum determinata. Non primum, quia per illos tantum duos conceptus conciperet actualiter et formaliter albedinem et nigredinem quasi secundum infinitas habitudines, quod est contra experientiam. Si secundum,

contra: tum quia non est maior ratio de ista habitudine quam de illa, quia illi conceptus sunt indifferentes et in potentia ad hoc, ut mediantibus illis intellectus possit comparare albedinem et nigredinem secundum hanc habitudinem vel illam; tum quia saltem de illa habitudine. Habetur propositum, quod non requiritur tertius conceptus non absolutus.

Preterea, quod est prius et causa distinguitur a posteriori et causato. Sed a et b sunt naturaliter priores conceptu comparativo albedinis et nigredinis, et sunt causa illius. Prius enim naturaliter concipit intellectus albedinem et nigredinem in se absolute quam relative, aut hoc in comparative ad illud, et potest multipliciter et varie comparari hoc illi secundum varias comparationes et habitudines, manentibus illis conceptibus absolutis invariatis.

Preterea, intellectus apprehendens formaliter hec secundum determinatam relationem et habitudinem ad illud habet aliquem conceptum de predicamento relationis. Igitur, alium totaliter ab a et b. Consequentia patet, quia a et b sunt conceptus de predicamento qualitatis. Antecedens probatur, quia aut nullus est conceptus de genere respectivo, aut maxime huiusmodi sunt illi conceptus per quos formaliter et actualiter intelligitur aliqua res comparatione in relatione ad alteram. Ordinationes autem predicamentorum sunt impermixte 1 Posteriorum.

Confirmatur: si a conceptus absolutus albedinis sit conceptus relativus et comparativus albedinis ad alterum obiectum propter additionem alterius conceptus, sequitur quod posset fieri cuiuscumque generis respectivi et cuiuscumque speciei de genere respectivo, quia albedo potest concipi relative in habitudine ad quodcumque aliud et secundum habitudinem quamcunque.

Preterea: illis predicabilibus correspondent diversi conceptus in anima, quorum predicabilium unum de pronomine demonstrante "hanc" albedinem predicatur necessario per se et in quid, et alterum non nisi contingenter et per accidens. Sed albedo predicatur necessario et per se et in quid de hac albedine demonstrata. Predicabile autem relativum, huius albedinis ad nigredinem predicatur contingenter et per accidens, puta dissimile diversum etc., quia veritas talis predicationis variatur ad variationem in altero extremo, igitur.

Preterea, conceptus relativus correspondens isti predicabili "duplum", et cui subordinatur in significando, esset idem conceptui correspondenti huic termini "dimidium". Similiter de toto et parte et huiusmodi relative oppositis. Consequentia patet, quia conceptus huius [36a] relativus

et comparativus non esset illi duo conceptus absoluti duorum extremorum. Consequens est falsum, quia huiusmodi predicabilia essent termini sinonimi, et predicarentur de se invicem in recto. Ex eisdem arguitur quod nec sufficiunt conceptus absoluti quicumque.

Secunda conclusio: his intellectus comparans formaliter aliquod obiectum alteri seu intelligens formaliter aliquod obiectum in respectu et habitudine ad alterum intelligit utrumque obiectum comparatum unico actu simplici. Probatur: comparet intellectus albedinem nigredini secundum determinatam habitudinem, tunc preter *a* conceptum proprium absolutum albedinis, et preter *b* conceptum proprium absolutum nigredinis et quemcumque conceptum proprium absolutum alterius obiecti erigitur aliquis alius conceptus relativus et comparativus. Iuxta primam conclusionem sit igitur ille actus *c*, probo quod per *c* formaliter cognoscitur tam albedo, quam nigredo, sic per quemcumque conceptum cognoscitur formaliter hoc obiectum in relatione et habitudine ad illud per ipsum cognoscitur formaliter hoc obiectum et illud. Sed per *c* conceptum relativum et comparativum, ut distinguitur a conceptibus absolutis illorum obiectorum, et ut est conceptus superadditus illis cognoscitur formaliter et actualiter albedo in relatione et comparatione ad nigredinem, igitur. Maior patet: alioquin possibile esset sine contradictione intellectum formaliter et actualiter cognoscere hoc obiectum in respectu et comparatione ad illud. Et tamen non cognosceret hoc et illud, immo nec hoc, nec illud. Minor probatur: vel conceptus superadditus est cognitio formaliter, tam albedinis, quam nigredinis, aut albedinis tantum, aut nigredinis tantum, aut nec huius, nec illius, sed cuiusdam alterius obiecti. Si primum, propositum. Si secundum, vel tertium.

Contra: tum quia non est ratio quam magis sit cognitio huius et non illius quam econtra, tum quia esset conceptus absolutus huius extremi, sicut est conceptus *a* vel *b*, quia per illum non cognoscitur formaliter, nisi albedo, sicut per conceptum *a*. Et ipso solo existente in intellectu non cognosceretur, nisi albedo in se sine comparatione ad nigredinem, sicut ipso *a* precise existente in intellectu; tum quia propter additum ipsius *c* non cognosceretur relative illud extremum cuius non esset cognitio. Si quartum, contra, quia igitur propter additionem illius, non cognoscitur albedo relatius in comparatione ad nigredinem magis quam prius, quia nec cognosceretur albedo nec nigredo aliter quam prius. Si dicatur quod per *c* conceptum comparativum superadditum precise sumptum non cognoscitur hoc extremum absolutum nec illud, sed relatio et habitudo media, ita quod per duos conceptus absolutos extremorum, cum illo

tertio conceptu concipitur formaliter hoc extremum in respectu ad illud. Et sic primo habetur propositum, quia huiusmodi habitudo non est nisi ille res comparate. Non enim oportet quod universaliter omni predicabili vel conceptui relativo correspondeat extra animam forma respectiva accidentalis distincta totaliter a rebus absolutis. Patet de multis. Secundo, per *c* conceptum circumscripto omni alio cognoscitur formaliter et actualiter relatio et habitudo huius ad illud ergo per *c* formaliter cognoscitur hoc et illud. Consequentia probatur, quia contradictio videtur quod apprehendatur formaliter et actualiter certa habitudo istius ad illud quin concipiatur hoc et illud. Deus autem poterit conservare et causare *c* conceptum illum sine omni alio conceptu, cum sit qualitas distincta. Tertio, licet diceretur quod per conceptum absolutum correspondentem termino relativo abstracto concipitur relatio media et non aliquod extremum. Tamen per terminum relativum concretivum [36b] correspondentem termino concreto concipitur aliquod extremum, quia huiusmodi concretum vere predicatur de extremo, ergo de conceptu respectivo concreto habetur propositum. Si aliter dicitur quod intellectus comparans hoc obiectum alteri preter conceptum absolutum proprium huius et illius habet conceptum relativum huius et conceptum relativum illius, sic quod unus conceptus relativus est tantum cognitio huius extremi, ut obiecti et alter conceptus correlativus est tantum cognitio alterius extremi ut obiecti. Tamen dicuntur conceptus non absoluti, sed relativi vel respectivi, quia naturaliter et necessario unus exigit alterum et econtra. Non autem sic de conceptibus absolutis, unde concipere relative hoc obiectum in comparatione ad alterum est concipere illud conceptum naturaliter et necessario coexigente alium conceptum illius obiecti in habitudine ad quod cognoscitur, et unum conceptum consignificare aliquam rem non est illum conceptum exhibere formaliter obiective illam rem, sed coexigere conceptum alium illius rei.

Contra hanc responsionem probo tria. Primum, quod quamvis huiusmodi conceptus naturaliter se coexigant, tamen per illos non cognoscitur formaliter hoc in ordine ad alterum, si per quemlibet illorum non cognoscitur, nisi unicum extremum et ex opposito, si per eos cognoscitur formaliter hoc obiectum in habitudine ad alterum per quemlibet illorum cognoscitur utrumque obiectum. Secundum probandum est quod falsum est hunc conceptum coexigere illum. Tertium, quod cognoscere aliquod obiectum cognitione coexigente aliam alterius obiecti non est cognoscere relative. Primum probatur: pono quod preter *a* conceptum absolutum proprium albedinis, et *b* conceptum proprium absolutum nigredinis sit *c*, iste conceptus relativus quo dicis concipi albedinem relative, et sit *d* conceptus quo dicis concipi nigredinem relative. Probo quod

per *c* concipitur formaliter non precise albedo, sed etiam nigredo, sic per quemcumque conceptum apprehenditur formaliter et actualiter albedo non in se absolute, se formaliter relative in comparatione ad nigredinem per illum apprehenditur non precise albedo. Sed etiam nigredo, scilicet *c* conceptus ut distinctus totaliter ab ipso *b* et *d* est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia possibile esset sine contradictione intellectum formaliter et actualiter apprehendere albedinem in comparatione et habitudinem ad nigredinem et formaliter comparare albedinem nigredini et non apprehendere nigredinem. Patet consequentia, quia non esset contradictio illum conceptum esse a Deo in intellectu sive quocumque alio totaliter distincto, cum sit de prima specie qualitatis. Minor probatur, quia *c* conceptus, ut distinguitur ab omni alio actu est de genere respectivo, ergo est per se et essentialiter respectivus, ergo per illum formaliter concipitur obiectum in respectu ad alterum. Et quia, si per *c* conceptum ut distinguitur ab omni alio actu concipitur formaliter albedo non relative et comparative, sed in se et ad se absolute, ergo *c* est conceptus absolutus albedinis non minus quam *a*.

Confirmatur: si *c* esset precise in intellectu non conciperetur per illum albedo in comparatione et comparative et relative ad albedinem, ergo etsi *c* ponatur simul cum alio conceptu, puta *d*. Antecedens patet, quia tunc non conciperetur nigredo secundum te. Consequentia probatur primo, quia quilibet conceptus exhibit precise idem et eodem modo, sive ponatur cum alio, sive per se, quia non variatur eius significatio naturalis, ipso essentialiter manente invariato. Secundo, quia albedo non apprehenditur aliter quam prius propter solam apprehensionem actus, qui non est cognitio albedinis nec in speciali, nec in communi, cuiusmodi est [37a] conceptus *d* secundum se. Tertio, si aliquis conceptus per se sumptus representat suum obiectum absolute non relative formaliter ad alterum, et simul sumptus cum alio conceptu representat suum obiectum relative in habitudine ad alterum, sequitur quod aliquis conceptus prius existens de predicamento absoluto sit postea de predicamento respectivo propter adiunctionem vel remotionem alterius actus et e contra. Consequens est falsum, non enim transit de genere in genus, sed est per se et essentialiter de tali genere. Quarto, si idem actus posset successive nunc esset cognitio huius absolute in se et ad se et postea esse cognitio relativa huius ad aliud, pari ratione potest esse primo cognitio huius tantum et postea esse cognitio amborum, quicquid enim dat illi actui noviter esse cognitionem relativam huius ad aliud, dat ei esse cognitionem utriusque et eo ipso quod fiet noviter cognitio relativa huius ad illud fiet noviter cognitio amborum. Et ex his arguitur quod intellectus non intelligit formaliter hoc obiectum in habitudine ad alterum per

quosque vel quotque plures actus quorum unus sit precise cognitio unius obiecti et alter sit precise cognitio alterius obiecti et nullus sit cognitio utriusque.

Secundum probatur primo, quia *c* conceptus non dependet nec causatur a nigredine, nec a conceptu nigredinis, igitur non necessario exigit conceptum nigredinis. Antecedens probatur, quia si causatur a nigredine, sicut ab albedine vel a conceptu nigredinis, sicut a conceptu albedinis, igitur non minus est cognitio nigredinis quam albedinis et habetur propositum.

Confirmatur ex quo *c* ostendit precise albedinem sicut *a* conceptus non videtur quod *c* necessario exigit conceptum nigredinis magis quam *a* conceptus absolutus albedinis.

Secundo, *c* non causatur ab ipso *d*, probo quia pari ratione *d* causatur ab ipso *c* et esset circulus in causalitate et dependentia effectiva, ergo *c* non necessario exigit *d*, nec econtra. Si vero *c* causatur ab ipso *b* conceptu absolute nigredinis, non a conceptu *d*, ergo circumscripto *d*, et habitis duobus conceptibus absolutis albedinis et nigredinis, et habito tertio conceptu relativo, concipitur formaliter albedo in relatione ad nigredinem et habetur propositum.

Tertium probatur: cognitionem alicuius obiecti exigere naturaliter aliam cognitionem eiusdem obiecti non est huiusmodi cognitionem esse formaliter relativam et comparativam eiusdem ad se, igitur, pari ratione cognitionem alicuius obiecti coexigere naturaliter conceptum alterius obiecti non est formaliter cognoscere hoc obiectum in respectu et comparative ad illud. Antecedens probatur, tum quia anima per omnem intellectionem cognosceret idem in relatione ad seipsum, quia coexigitur sensatio vel fantasia eiusdem, tum quia sensatio erit notitia non absoluta, sed relativa, quia sensatio obiecti proprii per se sensibilis, ut color exigit naturaliter sensationem sensibilis communis, ut quantitatis et figure. Si igitur intuitivam exigere intuitivam non facit intuitivam esse formaliter relativam, pari ratione de abstractiva.

Preterea, si signum esse relativum sit ipsum coexigere aliud signum, sequitur quod nullus terminus vocalis est signum relativum, quia non coexigit aliud. Confirmatur: termini sincathegoreumatici essent per se et primo species et genera in predicamento respectivo, quia eis convenit magis coexigere alia signa ad hoc quod significant vel cosignificant quam signis cathegoreumaticis.’

Preterea, principaliter ad secundam conclusionem arguitur sic: unitas suppositi sine unitate potentie respectu aliquorum obiectorum non sufficit ad cognoscendum illa relative et comparative, secundum Aristotelem 2 *De anima*, ergo nec sufficit unitas potentie sine unitate actus respectu illorum obiectorum. **[37b]** Consequentia probatur: pari ratione sicut enim si una potentia cognoscit *a* et alia potentia eiusdem suppositi cognoscit *b*, et nulla una potentia illius suppositi cognoscit *a* et *b* numquam per hoc illud suppositum poterit comparare *a* ad *b*, secundum Aristotelem ita pari ratione si eadem potentia per aliquem actum cognoscit *a* tantum, et per alium actum cognoscit *b* tantum, et per nullum unum actum cognoscit *a* et *b*, numquam ex hoc cognosceret formaliter et actualiter *a* relative et comparative ad *b*. Patet consequentia, sicut enim suppositum comparat mediante potentia sic potentia mediante actu. Confirmatur: ad apprehendendum comparative aliqua obiecta requiritur identitas temporum. Si enim prius cognosco *a* precise, et postea cognoscam *b* precise sine *a*, numquam cognoscam per hoc illa comparative, igitur pari ratione requiritur identitas actus. Ex his patet quid dicendum ad questionem.

Contra conclusiones positas arguitur. Et primo de conceptu relativo quo formaliter intellectus distinguit hoc obiectum ab illo et quo formaliter intellectus intelligit hoc obiectum ut distinctum, puta de conceptu correspondente isti termino ‘distinctum’ vel ‘diversum’ et consimiliter de conceptibus respectivis per se inferioribus ad dictum conceptum ut de conceptibus correspondentibus istis predicabilibus ‘oppositum’, ‘contrarium’, ‘dissimile’, ‘inequale’. Et consequenter de quibuscumque relativis disqueparantive ut ‘maius’, ‘minus’, ‘totum’, ‘pars’, ‘duplum’, ‘dimidium’, quilibet enim talium conceptuum relativorum est per se medium distinguendi evidenter unum extremum comparatum ab alio. Arguo igitur sic: per nullum conceptum simplicem et unicum duorum obiectorum cognoscuntur illa duo obiecta distincte et ut distincta, sed per apprehensionem comparativam seu compositionem intellectualem qua intellectus relative cognoscit hoc obiectum ut distinctum ab illo et ut maius illo intellectus concipit huiusmodi obiecta distincte et ut distincta, ergo huiusmodi apprehensio comparativa seu comparatio intellectualis non est unica simplex respectu illorum obiectorum, vel sic quecumque obiecta concipiuntur unico actu simplici per illum concipiuntur indistincte et non distincte nec ut distincta, sed obiecta que comparative concipiuntur hoc ut distinctum ab illo vel ut maius illo intellectus concipit huiusmodi obiecta distincte et ut distincta; igitur, per huiusmodi comparisonem intellectualem non apprehenditur unico actu simplici. Minor utriusque discursus



patet. Maior probatur primo: intellectus aliqua obiecta non distinguit per illud et secundum illud in quo tamquam in conceptu et ratione communi et indifferenti conveniunt et communicant, ergo per illum intellectus non distinguit sicut per conceptum specificum non distinguit inter individua eiusdem speciei, nec per conceptum generis inter species eiusdem generis. Conceptus enim communis est conceptus convenientie non disconvenientie, nec distinctionis, sed conceptus unus et simplex respectu duorum obiectorum est conceptus communis utrique in illo conveniunt et communicant, ergo per illum intellectus non distinguit nec distincte cognoscit huiusmodi obiecta. Confirmatur: intellectus non apprehendit formaliter convenientiam aliquorum, nisi per aliquem conceptum communem utrique, et hec causa precisa est apprehendendi convenientiam, igitur econtra non apprehendit formaliter differentiam et distinctionem aliquorum per conceptum indifferenter communem utrique, sed tantum per proprios et distinctos. Confirmatur: sequitur quod idem actus erit obiectorum quorumdam notitia distincta et notitia indistincta, quia per illum actum relativum intellectus formaliter distinguit illa obiecta, ergo est notitia distincta illorum, sed ille actus est notitia una et **[38a]** eadem respectu illorum, ergo est notitia indistincta illorum. Confirmatur: aliqua notitia absoluta distincta et individualis huius rei est propria representatio huius rei, ergo omnis notitia distincta formaliter huius rei est propria huic rei. Sed notitia comparativa aliqua huius rei est formaliter distinctiva huius rei ab alia re, igitur principaliter consequentia patet, quia non minus est propria representatio huius notitia distinctiva quam notitia distincta, sed propria representatio huius non est communis huic et alli, igitur.

Secundo, probatur minor principalis eo modo cognoscuntur et apparent aliqua obiecta apud intellectum, quomodo representantur et relucet in actu et per actum intellectus. Sed per *c* actum et in *c* actu comparativo, si sit unus et simplex respectu amborum representantur et relucet indistincte, et ut unum ambo extrema. Probo, quia eodem modo representantur et relucet in actu quo modo ille actus ea representat et significat. Sed si actus est unus et indistinctus, representat illa ut signum unum et indistinctum, igitur indistincte quecumque, igitur concipiuntur et apparent unico et indistincto conceptu illa, ut sic concipiuntur et apparent et unum et indistincte. Confirmatur: intellectus obiecta exemplata et representata non distinguit per illam imaginem, vel per illud exemplar in quo assimilantur et quod est naturalis similitudo utriusque indistincte et uniformiter. Patet, si enim duobus corporibus coresponderet in speculo unica et eadem imago in qua convenirent illa corpora et que, secundum quodlibet sui, equaliter

et indifferenter representaret utrumque, numquam aliquis distingueret huiusmodi obiecta per huiusmodi imaginem.

Tertio, potentia cognoscens et distinguens aliqua obiecta non immediate per suam essentiam, nec immediate per essentias illorum obiectorum, sed tantum mediantibus actibus suis formaliter non distinguit, nec cognoscit, nisi secundum qualitatem et differentiam illorum actuum. Igitur, si actus est unus et indistinctus, cognoscit illa ut unum et indistincte. Confirmatur: qualis est actus cognoscendi taliter, denominatur intellectus per illum formaliter cognoscere et taliter denominatur obiectum cognitum secundum illum, igitur, si actus est in se unus et indistinctus, respectu amborum extremorum comparatorum, potentia cognoscit illa ut unum et indistincte. Antecedens patet, quia potentia non cognoscit per suam essentiam immediate, nec per essentias obiectorum, sed precise per actus medios. Ergo, qualis est actus secundum quem potentia fertur in obiectum taliter fertur potentia in illud obiectum et denominatur secundum conditionem illius actus. Patet, iterum antecedens inducendo, ideo enim obiectum dicitur videri, quia eius actus est visio et de auditione et intellectione et visione. Et ideo dicitur intense cognosci, quia actus est intensus.

Quarto, que apprehenduntur sub alia et alia ratione, illa ut sic apprehenduntur distinctis conceptibus et actibus, sed que apprehenduntur comparative ut hoc distinctum ab illo vel maius illo, illa ut sic apprehenduntur sub alia et alia ratione.

Secundo, principaliter contra conclusiones positas: intellectus comparat aliqua intelligibilia que in nullo conceptu simplici conveniunt, igitur conceptus comparativus non est unus simplex respectu extremorum comparatorum. Antecedens probatur, quia habitus et privatio et contradictoria, puta esse et non esse, et aliquid et omnino nihil non conveniunt in aliquo uno conceptu. Licet, enim aliqui ponant hoc de ente respectu omnium que sunt substantie et accidentia, non tamen respectu entis, et respectu omnino nihil et figmentorum impossibilium. Confirmatur: sequitur quod ea que ex suis rationibus formalibus sibi contradicunt, et quorum ratio unius destruit rationem alterius non solum convenirent in aliquo per se uno conceptu et ratione, immo in conceptu et ratione distinctiva **[38b]** cuiuslibet. Patet, quia intellectus potest comparare ens, et non ens et divisibile et indivisibile, et ille conceptus comparativus erit ratio distinctiva cuiuslibet. Confirmatur: obiecta primo et totaliter diversa et summe differentia et dissimilia non possunt distincte unico eodem actu simplici finito representari, sed contingit

aliqua talia comparari, igitur. Minor patet, quia resolvendo ad prima distinctiva erit devenire ad summe distincta et poterunt comparari. Maior patet, quia actus est naturaliter similitudo obiecti actualis et expressa, secundum Augustinum 13 De trinitate, et secundum Aristotelem, 3 De anima. Conveniunt in hoc antiqui quod cognitio fit in anima per quandam assimilationem anime ad res. Sed rerum summe dissimilium non est unica omnino eadem similitudo naturalis, tum quia essent similes inter se, quia similes eidem. Tertio tum quia quanto aliqua sunt minus similia vel magis dissimilia et disconvenientia, tanto minus sunt similes eorum imagines et representationes similitudines naturales. Ergo, totaliter et summe dissimilia in nulla una naturali similitudine communicant et conveniunt. Confirmatur: talium summe dissimilium non sunt similitudines eiusdem rationis solo numero differentes, ergo multo minus unica eadem numero.

Tertio, principaliter sequitur quod quelibet res nata sit causare in anima notitiam distinctam et distinctivam cuiuslibet alterius rei. Consequentia patet, quia quelibet res nata est per intellectum cuiuslibet rei comparari. Si autem concipitur unico actu distinctivo utriusque extremi ille conceptus causabitur ab extremis, quia non magis ab uno quam ab alio. Falsitas consequentis probatur, tum quia primo Physici, “non quodlibet natum est agere in quodlibet vel pati a quolibet”, igitur pari ratione non quodlibet natum est agere naturalem imaginem et similitudinem cuiuslibet, tum quia una res non generat naturaliter imaginem corporalem alterius rei, ergo nec spiritualem que expressior est. Confirmatur, quelibet res posset in infinitos effectus alterius rationis, quia potest comparari infinitis alterius rationis.

Quarto, sequitur quod unico actu finito possunt omnia, etiam infinita distincte, cognosci ab intellectu nostro. Probatur consequentia, quia si duo possunt distincte representari unico actu, pari ratione et tria sic sine fine. Non enim est maior repugnantia plurium quam paucorum et trium quam duorum, et quia si summe dissimilia et disconvenientia possunt unico actu simplici distincte representari, ergo quecumque alia minus dissimilia. Falsitas consequentis probatur, quia talis actus esset infinitus, quia equivaleret in representando infinitis notitiis propriis et distinctis illorum infinitorum obiectorum, etiam hoc argueret potentiam infinitam. Pauca enim possumus cognoscere simul distincte et attentio anime circa unum distincte impedit animam attendere distincte circa aliud.

Quinto principaliter, sequitur quod respectu cuiuslibet obiective intelligibilis haberemus conceptum proprium distinctum compositum respectu illius possemus habere conceptum

proprium simplicem. Consequentia patet, quia possumus comparare illud sibi vel alteri. Falsitas consequentis probatur. Primo, quia de Deo non habemus conceptum proprium distinctum simplicem, sed tantum compositum ex pluribus communibus, qui simul menti reddunt unum aggregatum proprium Deo, ut dicendo ens primum infinitum. Patet, quia talem conceptum proprium et distinctum simplicem non habemus de his que non cognoscuntur, nisi post discursum et non intuitive immediate. Secundo, quia cecus posset habere naturaliter notitias simplices proprias et distinctas coloris. Probo, quia potest habere conceptum proprium compositum, potest enim habere conceptum compositum correspondentem isti orationi sensibile aliud ab audibili, gustabili, tangibili et olfactibili, cuilibet enim parti huius orationis conceptum correspondentem potest habere, vel huic orationi sensibile a sensu qui tibi deest. Et consequenter posset ha- [39a] –bere conceptum proprium albedinis simplicem, quia potest habere compositum dicendo nobilissimum visibile, quod est qualitas opaci terminati. Et per consequens habere potest simplicem conceptum proprium lucis vel luminis, quia potest habere conceptum correspondentem isti orationi sensibile a sensu, qui tibi deest causatum in medio existente in pura privatione ad illud eodem modo posset habere conceptum proprium simplicem solis vel saturni.

Tertio, figmentorum habemus conceptus proprios compositos, sed non simplices. Probo, tum quia iam non esset conceptus figmenti impossibilis, ideo enim dicitur conceptus figmenti et ratio in se falsa, quia componitur ex conceptibus sibi repugnantibus, quorum unus non potest verificari de altero. Conceptus etiam simplex non est nisi obiecti possibilis, alioquin primi actus possent esse respectu impossibilium: tum quia figmenta essent per se in genere, quia haberent conceptus simplices distincte representantes et conceptus superiores simplices et consequenter eorum per se essent diffinitio, quia conceptui simplici posset correspondere conceptus compositus explicitus.

Sexto principaliter, sequitur quod idem actus erit simul notitia intuitiva et abstractiva eiusdem obiecti. Probo, quia intellectus potest albedinem nunc visam comparare albedini eidem haberi vise, dicendo “hec albedo est eadem albedini haberi vise et obiectum nunc visum comparare obiecto haberi viso, sed notitia obiecti, ut prius vise est abstractiva, quia est recordativa, quia est preteriti ut preteritum est.

Septimo principaliter, cum intellectus comparat aliquid sibi ipsi huiusmodi conceptus comparativus et relativus non est simplex, ergo nec dum comparat aliquid alteri pari ratione. Antecedens probatur primo, quia secundum Aristotelem, 5 Metaphysica, intellectus utitur tunc uno ut duobus seu pluribus, sed hec pluralitas non est in re obiective, ergo in intellectu est pluralitas actuum eiusdem obiecti, secundum quod intellectus comparat formaliter; vel comparat secundum aliquid bis repetitum et replicatum seu reiteratum. Secundo, idem conceptus significaret omnino idem obiectum sub modis oppositis, puta in recto et in obliquo primo et principaliter, secundo et minus principaliter, directe et indirecte. Tertio, talis conceptus erit eiusdem rationis cum proprio et absoluto conceptu illius rei, igitur erit absolutus non comparativus. Antecedens probatur, quia sunt conceptus simplices proprii et distincti eiusdem obiecti, idem omnino et adequate representantes, nec unus significat aliquid primario, vel secundo, qui alter significet idem eque primo vel secundo. Quarto, ille conceptus comparativus erit notitia propria et distincta huius rei et similiter erit notitia communis et indistincta eiusdem rei. Prima pars probatur, quia per illum demonstratur hec res. Secunda pars probatur, quia equivaleret in significando huic orationi hoc idem sibi ipsi. Igitur, equivalenter continet conceptum identitatis, sed conceptus identitatis est communis huic rei, quia quilibet res est eadem sibi ipsi.

Octavo principaliter: conceptus comparativus et relativus obiecti infiniti et increati non est formaliter cognitio utriusque extremi comparati, sed alterius tantum; ergo, pari ratione conceptus comparativus obiecti creati. Antecedens probatur, quia conceptus per se proprius prime persone in divinis, puta Patris est conceptus non absolutus, sed relativus, quia prima persona constituitur per se et primo in esse talis persone et talis suppositi per relationem et proprietatem relativam. Sed ille conceptus non est formaliter cognitio secunde persone, puta Filii. Probo, quia omnis res distincta realiter ab alia nata est concipi aliquo conceptu sibi proprio et individuali. Secundo, quia intellectus noster distinguens unam rem ab alia potest habere conceptum proprium illius rei, in quo non communicat cum alia [39b] re. Alioquin non habet medium quo neget illam rem ab alia. Dices quod ille conceptus est proprius prime persone in supponendo, non in significando et exhibendo obiective per se. Contra: si ille conceptus non minus significat hanc rem quam illam, ergo intellectus non minus consequenter potest uti illo conceptu pro hac re quam pro illa; ergo, non minus potest ille conceptus supponere pro ista quam pro illa, ut infra deducetur. Confirmatur, cum dico quod huiusmodi conceptus, licet

significet utramque personam, tamen supponit tantum pro prima persona non producta. Tunc quero: aut conceptus correspondens huic orationi “prima persona non est producta” exhibet obiective unam solam personam et habetur propositum; aut utramque, ergo non magis significas et demonstras mihi quod supponat pro hac quam pro illa, nec magis mihi demonstras distincte unam personam per secundam partem dicti tui quam pro primam partem. Videtur, igitur, quod apud intellectum non potest demonstrari et significari et supponat pro hac persona tantum, et non pro alia, nisi habeatur aliquis conceptus proprius istius et non illius in representando et exhibendo.

Respondeo principaliter, sequitur quod in relativis disquiperantie universaliter unum verificatur de altero. Pater est Filius et totum est pars et duplum est dimidium, et consequenter de quocumque verificatur unum et reliquum. Et quicquid verificatur de uno et de reliquo. Probo, quia utrumque significat precise et adequate eadem et eodem modo, puta utrumque extremum et unum in habitudine ad reliquum. Si autem aliquod predicatum verificabitur de aliquo subiecto, non pro se, sed pro suo significato, pari ratione erit veritas, si loco unius ponatur alius terminus significans idem omnino et adequate. Confirmatur: vel huiusmodi conceptus relativus significat illa duo comparata collective, aut divisim si primum ergo non vere predicabitur de altero, sed tantum pro aggregato ex ambobus. Si secundum, igitur, verificabitur de quolibet.

Decimo, sequitur quod conceptus relativorum disquiperantie ut dupli et dimidii essent omnino idem conceptus vel eiusdem rationis. Consequens est falsum, quia duplum et dimidium essent termini synonymi, et unus verificaretur personaliter de altero. Probatur, quia essent notitie eorumdem obiectorum precise et adequate et eque distincte et uniformiter, quia quodlibet significat hoc in habitudine ad illud et illud in habitudine ad hoc, quia non significabit hoc vel illud ad se et absolute. Item, ad hoc possunt adduci quedam que tangebantur ad probationem secunde conclusionis, quia si conceptus Patris et conceptus Filii sunt conceptus alterius rationis; ergo, sine contradictione potest Deus ponere alterum sine altero; ergo, possibile esset concipi Patrem ut Patrem et sub ratione paternitatis non concipiendo Filium. Quod est impossibile, quia si concipitur Pater ut Pater et sub ratione paternitatis; ergo in respectu et habitudine ad alterum ut ad Filium. ergo concipitur Filius. Confirmatur, quia etiam naturaliter posset haberi conceptus

unius relativi non habito conceptu correlativi. Probo, quia hoc non causabitur ab illo, quia pari ratione ille causaretur ab isto. Et sic esset articulus in causalitate et dependentia affectiva.

Undecimo, sequitur quod correlativus erit de per se et primario conceptu diffinitivi relativo nec ponetur in diffinitione relativi, ut additamentum extrinsecum. Sed ut inclusum in ratione formali quantitativa et per se primo modo sibi conveniens. Consequentia probatur, quia illud pertinet intrinsece et quidditative ad diffinitionem formalem alicui diffiniti, quod formaliter includitur in sua significatione vel eius significato. Falsitas consequentis probatur, tum quia opponuntur est enim quoddam genus oppositionis relative super quod fundatur quidam locus dialecticus. Sed unum oppositum [40a] non est de per se formali et quidditative ratione alterius oppositi. Multo enim minus quam disparatum, quia due species immediate sub eodem generi et non subalternati posite non includunt se invicem quidditative diffinitive, sicut nec differentie immediate divisive generis, tum quia etiam non est circulus in diffinitione quidditative, et predicatione primi modi secundum Aristotelem Primo Posteriorum; tum quia non ponitur ut genus, nec ut differentia. Confirmatur: sequitur quod unum relativum non est ponendum in diffinitione alterius. Consequens est falsum, quia unum posset diffinitive cognosci altero non cognito, contra Philosophum et Porphyrium dicentes necesse est in utrorumque diffinitionibus utrisque rationibus uti. Consequentia probatur quia in tali diffinitione esset nugatio, et patet si loco termini ponatur sua ratio. Et quia per conceptum diffiniti significatur eque distincte utrumque extremum, sicut per aliud correlativum, ergo frustra ponitur in diffiniti omne correlativum, quia non est nisi repetitio eiusdem obiecti eque distincte.

Duodecimo, principaliter sequitur quod est nugatio dicere “duplum dimidii”, et “Pater Filii”. Probo primo: si loco termini ponatur sua descriptio formalis, et quia alter terminus solus significat eque distincte, quicquid significat talis oratio, vel terminus sibi additus, igitur inconvenienter et nugatorie post duplum additur terminus dimidii, aut iterum illi orationi duplum dimidii addetur convenienter terminus dimidii, sicut additur ratio dupli, quia eadem eque distincte significat terminus huiusmodi, et oratio illa, et sic in infinitum continget fieri additionem. Et sicut dicit Aristoteles Primo Elenchorum ducere ad nugationem.

Item, Aristoteles 2 Elenchorum dicit quod non est idem dicere quod ipsa relativa coniuncta et separata, quod tamen esset, si conceptus relativus esse utriusque obiecti comparati.

Ad primum, per idem arguitur quod Deus non intelligit distincte creaturas. Negatur maior. Ad primam probationem, intellectum distinguere obiecta per aliquid, et secundum aliquid intelligitur dupliciter, vel ut li “per” denotat formam secundum quam intellectus formaliter est distinguens, sicut per intellectionem est intelligens. Alio modo, ut notat modum inferendi et arguendi distinctionem et ut notat eodem rationem distinctivam et appropriatam uni illorum. Item, aliquem conceptum esse communem respectu plurium obiectorum potest intelligi dupliciter, vel large per concursum et unitate signi et representationis precise, sicut divina intellectio est communis notitia omnium; vel proprie per unitatem et indifferentiam, tam significationis quam predicationis et suppositionis proprie sumpte. Primo modo negatur maior, quia Deus non distingueret aliqua obiecta. Secundo modo negatur minor, talis enim conceptus, vel terminus ei correspondens non est natus predicari et supponere indifferenter et uniformiter pro quolibet illorum comparatorum, sicut nec ipsa oratio ens Pater Filii non supponit vel predicatur proprie nisi pro Patre, licet significet formaliter illud quod est Filius. Huiusmodi igitur predicabile relativum non uniformiter nec eque primo et directe significat utrumque. Ad confirmationem negetur consequentia specialiter accipiendo in consequente apprehendere distinctionem per aliquod ut per formam secundum quam est apprehendens et non formaliter ut per medium inferendi distinctionem, vel ut conditionem appropriatam. Ad aliam confirmationem negetur consequentia accipiendo distinctum et indeterminatum, ut sibi opponantur. Ad probationem, dicendum quod ille actus proprie loquendo est notitia eorum distincta, quia per illam formaliter vel virtualiter potest intellectus distinguere hoc ab illo, et non est proprie notitia eorum indistincta quia non confuse quasi generalis, vel speci - **[40b]** - fica. Potest tamen dici indistincta, quia illa eadem est huius que illius sicut divina notitia diceretur notitia distincta et indistincta respectu creaturarum, sed hoc non est accipere distinctum et indistinctum secundum rationes oppositas et repugnantes. Ad aliam confirmationem, accipiendo notitiam propriam alicuius que est representatio illius non alterius, negetur consequentia, immo omnis notitia distinctiva aliquarum est communis utrique secundum representationem et exhibitionem, licet virtualiter contineat proprias et equivalenceat illis. Ad secundam probationem minoris, quia alius est formalis modus intrinsecus ipsius cognitionis et apparentie, et modus obiective cognitus et apparens. Ideo maior potest tripliciter intelligi, quia vel notatur identitas vel uniformitas modi formalis et intrinseci ipsius cognitionis et apparentie ad modum formalem et intrinsecum ipsius representationis et relucentie intellectualis, vel notatur identitas seu



uniformitas modi obiective cogniti et apparentis ad modum obiective relucentis et representantis, vel notatur identitas vel uniformitas modi obiective cogniti et apparentis et indicati ad modum formalem et intrinsecum ipsius actus representantis, scilicet tertio modo. Maior est falsa, quia per actum spirituales et in extensu apparet esse aliquid corporale, et extensum et per actum finitum corruptibilem apparet aliquid est infinitum vel incorruptibile. Sed maior conceditur primo et secundo modo, et cum dicitur in minori quod obiecta comparata representantur et relucent in illo actu ut unum et indistincte dicendum est si notetur modus seu unitas et indistinctio obiective apparens et representata negetur. Si vero notetur unitas et indistinctio signi representantis secundum illud quod est, conceditur. Et ad probationem minoris distinguendum est ut de maiore. Ad confirmationem procedit eque de apprehensione divina. Dicendum igitur quod intellectum distinguere aliqua obiecta per aliquam imaginem potest intelligi ut li “per” notat causam formalem, id est per formam secundum quam in intellectus est formaliter distinguens vel percipiens distinctionem. Alio modo, per illud tamquam per medium extrinsecum prius cognitum ad quod comparatur aliquid. Si primo modo, negatur maior, quia licet sit dissimilitudo obiective percepta, non tamen oportet ipsam esse in actu perceptivo distinctionis. Probatio autem maioris procedit in secundo intellectu, non de eo secundum quod formaliter intellectus est cognoscens dissimilitudinem, sed dicitur eo per quod tamquam per medium extrinsecum, prius cognitum cognoscitur aliud comparatum ad illud medium, puta dicendo “hoc est simile tali exemplari”, et non illud, et sic negatur quod per illum actum comparativum cognoscatur isto modo distinctio obiectorum comparatorum vel diceretur quod maior intelligitur de imagine et assimilatione secundum significationem et convenientiam qualitatum materialium, non de imagine et representatione seu similitudine que est formaliter exhibitio obiectiva vitalis. Ad tertiam probationem maioris, si intelligatur quod qualis actus in se essentialiter et formaliter taliter apparerent et iudicarentur, vel obiective apprehenduntur esse illa obiecta, negatur antecedens. Si vero intelligatur quod secundum formales differentias et intrinsecas actuum, intellectus est differenter apprehendens formaliter intrinsece, conceditur antecedens; et negatur consequentia, quia apprehendere aliqua ut unum et indistincte non importat unitatem et indistinctionem actus, sed obiecti apparentis seu unitatem et distinctionem obiective cogniti et apparentis. Ad confirmationem, conceditur **[41a]** quoad denominationes convenienter et debite sumptas, sed non secundum quaslibet denominationes sumptibiles ex actibus, maxime quando denominatio potentie vel obiecti cogniti importaret aliud quam talem qualitatem et

conditionem actus, ut dicendo “potentia cognoscit obiecta ut unum et indistincte”. Hec enim denominatio magis importat unitatem obiective apparentis et indistinctionem quam unitatem actus qui est formalis apparentia. Ad quartam probationem, accipiendo rationem pro actu potentie rationalis, negatur minor quoad actum secundum quem formaliter intellectus distinguit hoc ab illo vel intelligit hoc ut distinctum ab illo, licet antecedenter et causaliter presupponantur in intellectu numero actus distincti respectu illorum obiectorum qui actus sunt causa actus comparativi consequentis. Si vero ratio accipitur pro conditione obiective cognita et apparente negatur maior, nisi loquendo de distinctione actuum precedentium apprehensionem formaliter distinctivam. Ad secundum principale contra conclusiones negatur antecedens, ad probationem eque probat quod divina cognitio non est una respectu omnium intelligibilium, dicendum igitur quod quamvis ens et non ens non conveniunt in aliquo conceptu communi illis per suppositionem proprie dicta, et per predicationem de in esse et presenti per modum actus et existentie. Tamen possunt sic convenire quod eodem conceptu apprehenditur tam illud quod est quam illud quod non est, quia etiam conceptu specifico apprehenduntur et representantur, tam singularia que extant quam illa que non extant specialiter, aut hoc est possibile si huiusmodi conceptus non sit communis per predicationem. Aliquod etiam predicatum dictum modo positive dicitur communiter de utrisque, ut esse intelligibile. Ad confirmationem conceditur modo predicto, quia ex conceptibus diversorum obiectorum non possibilibus verificari de eodem, potest consequenter formari alius totaliter distinctus comparativus illorum obiectorum. Ad aliam confirmationem negetur maior. Ad probationem dum dicitur quod rerum summe dissimilium non potest esse eadem similitudo et imago naturalis, verum est de similitudine secundum configurationem et convenientiam seu propinquitatem qualitatum, non autem de similitudine et imagine que est per obiectivam representationem et exhibitionem sicut formaliter distinctio dicitur imago obiecti, nec oportet illa esse similia inter se quorum est una talis similitudo, quia non minus potest esse una talis similitudo dissimilium quam similium. Patet de notitia divina et de conceptibus transcendentibus. Ad aliam confirmationem, negatur consequentia accipiendo antecedens de notitiis, quarum una esset propria uni et altera alteri. Actus enim proprius uni illorum est alterius rationis ab actu qui foret proprius alteri illorum et ab actu qui foret communis ambobus. Ad tertium principale non sequitur quod quelibet res secundum quod cuiuslibet rei notitia propria habita potest esse partialis causa cuiusdam notitie distincte respectu cuiuscumque alterius rei una cum propria notitia alterius rei. Ad

confirmationem, non sequitur quod quelibet res, sed quod quelibet notitia propria alicuius obiecti posset in succesione eterna temporis, si conservatur a deo concurrere, ut causa partialis ad non tot effectus alterius rationis, quin ad plures nisi capacitas et activitas potentie sit limitata ex natura rei. Unde argumentum eque est contra limitationem potentie intellective que potest comparare idem diversis succesive loquendo, igitur de potentia naturali vel reducibili ad actum completum et terminatum non premixtum potentie. Negatur consequentia. Ad quartum, negatur consequentia. Ad probationem, dicendum est quod non plura obiecta possumus simul cognoscere distincte actu comparativo quam possimus simul distincte cognoscere diversis actibus, quia ille actus comparativus causatur naturaliter ex illis propriis, et equivalet illis in representando [41b] distincte. Ad quintum principale, conceptus potest esse distinctus et proprius alicuius obiecti dupliciter, vel secundum predicationem et suppositionem proprie sumptam, vel secundum representationem et exhibitionem obiectivam. Si primo modo, conceditur consequens. Si secundo modo, negatur consequentia, quia conceptus comparativus exhibet obiective et eque distincte vel indistincte ea que exhibetur per conceptus simplices a quibus causatur. Ad primam improbationem consequentis dicendum, quod ille conceptus relativus et comparativus Dei, licet esset Dei conceptus distinctus et proprius in predicando et supponendo, non tamen in representando et exhibendo obiective, sicut de conceptu composito mediante quo formatur, vel sicut de oratione que illi subordinatur et cui equivalet in significando. Talis enim conceptus simplex comparativus exhibet precise eadem que exhibet ille conceptus compositus et non distinctus, neque perfectius vel clarius, neque plus valet ad cognoscendum veritates de Deo naturaliter quam ille conceptus compositus, nec equivalet imperfecte et indistincte exhibendo Deum conceptu simplici proprio absoluto Dei nato sequi intuitivam. Ad secundam, per idem ad tertiam negatur secunda pars antecedentis. Ad primam probationem, ideo est conceptus significati, quia conceptus descriptivus vel explicativa ratio componitur ex repugnantibus simul verificari. Ideo ille conceptus non potest supponere pro aliquo intelligibili verificando affirmationem de inesse, nisi eidem simul inessent talia repugnantia. Conceptus autem simplex absolutus proprius non est respectu impossibilis. Ad secundam probationem, negatur consequentia, quia de illa entitate demonstrata potest illud verificari, scilicet affirmationem de inesse actu vel potentia, nec dicitur quid, nec quale, nec quantum etc. Ad sextum negatur consequentia, ad probationem: illa notitia comparativa erit intuitiva et non abstractiva illius albedinis, licet sit abstractiva actus presenti. Actus autem

recordativus, licet non sit intuitivus huius albedinis quatinus est eius, ut haberi vise. Tamen est simpliciter intuitivus huius albedinis ratione intuitive mediante quae formatur, licet simul formarentur mediante intuitiva et abstractiva. Ad septimum, negatur antecedens. Ad probationem, potest dici quod non est vere et realiter ibi dualitas, nec in actu comparativo, nec in obiecto comparato, sed est ibi quasi dualitas in aliquo comparato, secundum similitudinem et modum intelligendi, quia intellectus utitur aliquo obiecto quasi termino a quo, et quasi termino ad quem cuiusdam habitudinis et processus intellectualis: dum comparat idem sibi ipsi, sicut intellectus comparans aliquod obiectum alteri obiecto utitur uno illorum tamquam principio, quia tamquam eo quod refer et comparat, et utitur altero tamquam termino et fine cui comparat, et ad quem refert, et in quem tendit et procedit, ita intellectus comparans aliquid sibi ipsi dicitur uti uno ut duobus, quia utitur illo tamquam principio quod refert, et tamquam termino cui refert. Ideo ibi est tantum dualitas in transumptione et modo intelligendi, non vere et realiter, sicut cum idem est activum in seipso dicitur agere in alterum; aut tamquam alterum secundum Aristotelem 5 Metaphisice. Item est ibi dualitas secundum reiterationem in oratione istam comparisonem explicanti, aut forte in intellectu est dualitas secundum binam formationem et acceptionem conceptus absoluti, qui bis repetitur ab intellectu semel in recto et semel in obliquo ut causetur conceptus comparativus. Ad secundam probationem antecedentis, negatur consequentia. Non enim significat in recto et in obliquo, quo modo conceptus nominalis rectus, et quo modo conceptus nominalis obliquus. Sed si sit incomplexus nominalis significabit formaliter in recto tantum, vel in obliquo secundum quod intellectus potest formare conceptum comparativum nominaliter in variis casibus tamen implicite et **[41a]** virtualiter significat illis modis sine repugnantia, quia equivaleret in representando orationi explicite et quasi descriptive illi correspondenti, sicut de actu divine intellectionis. Ad tertiam, negatur consequentia, quia aliter et aliter concipitur, scilicet absolute et relative videtur, tamen quia talis conceptus comparativus eiusdem ad se, non posset naturaliter haberi, nisi ex habituali notitia comparativa diversorum prehabita. Ad quartam, negatur consequentia. Erit enim notitia distincta et non indistincta illius rei, tamen erit notitia communis et indistincta et confusa alterius entis, sicut et oratio ei correspondens, dicendo *a* idem ipsi *a*, sicut de isto conceptu; hec albedo distincta ab omni alia albedine est enim notitia distincta huius albedinis, sed indistincta omnis alterius albedinis. Ad octavum principale, responsio ibi posita conceditur. Ad improbationem negatur secunda consequentia, ut patebit dicendo ad sequens argumentum. Ad confirmationem,

dicendum quod hec oratio et conceptus ei correspondens ‘prima persona divina non producta’ significat non solum illum qui in divinis est Pater. Et negatur ulterior consequentia, quia hoc iter non est natum verificari de omni intelligibili significato qualitercumque per ipsum, sicut per hanc orationem ‘ens primum, independens etc’ determinate demonstratur Deus, licet per partes eius significaretur omne quod est ens. Unde argumentum eque procedit de oratione, sicut de conceptu. Ad nonum, negatur consequentia, licet enim utrumque correlativum predicabile seu vocale sive mentale, significat aliquo modo utrumque extremum, tamen non est natum supponere indifferenter pro utroque extremo comparato. Sed unum pro uno et alterum pro altero. Et ratio est, quia non omnino uniformiter importat hoc et illud. Sed unum primario et principaliter et directe, alterum autem secundario et minus principaliter et indirecte. Unde dicitur illud conotare quasi cum altero principaliter significato consequenter significare.

Contra hoc probo duo. Primum, quod dictum est in se falsum quod, scilicet quamvis significet utrumque, tamen non potest supponere, nisi pro altero, secundum est quod causa qua assignatur non valet, scilicet quod non significat illa uniformiter et eque. Primo, primum probatur sic: predicabile potest supponere pro illa re pro qua potest convenienter accipi in propositione tamquam signum pro suo significato et quo signo intellectus potest convenienter uti in illa propositione pro illa re. Sed *a* predicabile relativum poterit convenienter accipi in propositione pro *b* extremo cui fit comparatio, ergo. Maior patet, quia terminum supponere pro aliquo non est nisi ipsum accipi et stare in propositione pro illo. Minor probatur, quia signum exhibens naturaliter et determinate aliquod obiectum potest convenienter accipi pro illo obiecto tamquam pro significato. Et intellectus potest in propositione convenienter uti conceptu pro obiecto cuius est naturale et distinctum signum. Confirmatur, talis conceptus relativus non minus perfecte et distincte significat alterum extremum cui sit comparatio quam conceptus generis significat res singulares, ergo non minus potest pro illo supponere. Confirmatur: conceptus animae potest supponere pro eo quod significat contingenter et per accidens, ergo et pro eo quod per se necessario. Antecedens patet, quia album supponit pro Socrate, dum Socrates est albus. Secundum probatur, et circa hoc probatur primo quod illud sit falsum quod assignatur pro causa, scilicet quod relativum significat illa, non equaliter nec uniformiter. Secundo, quod quamvis foret verum, tamen non impedit quin possit supponere pro utroque, probatur sic: omni modo significandi quo significatur *b* extremum per *a* conceptum relativum significatur *c* alterum extremum et econtra, ergo uniformiter et non aliter et aliter significatur per *a*. Antecedens

probatur, quia non aliis modis significandi significatur per *a*, nisi illis quos formaliter habet *a* signum. Sed idem est signum secundum te, et illi modi significandi sunt realiter idem illi signo, ergo omni modo significandi quo significatur unum illorum per *a* significatur et reliquum. Confirmatur, si *a* dicitur aliter et aliter significare *b* et *c* et si per *a* conceptum intellectus aliter et aliter intelligit *b* et *c* aut ergo hec [42b] alietas se tenet formaliter ex parte signi *a* aut est formaliter alietas obiectorum *b* et *c*. Si primum, ergo non omnino idem actus et propositum. Si secundum, contra hoc enim non est ad propositum, quia intellectus non dicitur intelligere aliter et aliter hoc et illud, quia hoc est aliud ab illo, quia tunc impossibile esset intelligi vel significari uniformiter hoc et illud sive per idem signum sive per diversa. Et ita pro altero non posset supponere aliquod idem signum. Secundo, conceptus comparativus eiusdem ad seipsum significabit idem modis oppositis principaliter, scilicet non principaliter primario et secundario mediate et immediate. Tertio, terminus significans plura unum principaliter alterum secundario est terminus analogus, ergo omne predicabile relativum erit predicabile non univocum, sed analogum, quod est falsum, quia est per se genus vel species in predicamento. Confirmatur: predicabile significans unum primo et principaliter, et aliquod secundario non dicitur de eo quod principaliter significat in analogia et respectu ad illud quod secundario significabit, sed magis econtra, ergo. Quarto, si non eque primo et immediate, sed ordine quoddam, quero quis ordo sit ibi non durationis. Patet, nec dignitatis et perfectionis, quia contingit illa extrema esse equalis perfectionis vel indifferentie hoc esse nobilius illo vel econtra vel eque clare et distincte exhibere hoc et illud, nec ordo causalitatis, quia neutrum est causa alterius. Ex his videtur quod non convenienter dicitur quod significat hoc principaliter et conotat illud, quia vel conotare est minus principaliter et secundario importare et hoc est improbatum, aut est cosignificare. Nota enim et signum idem. Primo periar, sed si aliquod significat plura, eque verum est quod significabit hoc cum illo, sicut quod significat illud cum isto, ergo non magis cosignificat hoc quam illud. Deinde contra illum modum dicendi quo solet dici significare unum in recto et alterum in obliquo. Primo, intelligibile non significatur pro signum, nisi illod modo significandi grammaticali quem habet formaliter illud signum. Sed hic terminus ‘Pater’ non habet formaliter modum significandi secundum casum obliquum, quia est formaliter nominativi casus non obliquus formaliter et consimiliter conceptus cui subordinatur in significando non habet etc. Item, obliquus nihil significat nisi in obliquo, ergo rectus nihil significat nisi in recto. Item, terminus singularis numeri non significat pluraliter, nec terminus nominalis significat verbaliter, ergo terminus

rectus non significat in obliquo. Preterea, si dicitur unum significare in recto et alterum in obliquo, hoc videtur quia oratio per quam explicatur et exponitur sua significatio, et per quam quasi describitur exprimit hoc extremum in recto et illud in obliquo. Sed hoc non valet, primo quia potest exponi convenienter per orationem in qua hoc ponetur in recto et illud in obliquo et econtra, ut Pater potest dici ‘habens Filium’ et ‘genitor Filium’, et etiam convenienter dicitur ‘cuius’ vel ‘cui’, vel ‘a quo est Filius’, et ‘creator potens producere creaturam’ vel ‘a quo potest esse creatura’. Secundo, quia huiusmodi rectus significat idem formaliter in omni casu simul, quia potest exponi Pater cuius vel cui est Filius et qui est genitor Filii, et qui est causa Filio et qui genuit Filium, et qui causatur per propagationem, prior est Filio. Tertio, pari ratione diceretur significare hoc in genere masculino et illud in feminino, quia potest dici Pater qui genuit vel filium vel filiam, vel prolem, vel animal rationale. Preterea, si dicitur hoc significare principaliter, quia significat hoc in recto, et dicitur conotare illud, quia significat in obliquo, ergo terminus communis obliquus relativus non magis significabit hoc principaliter et conotabit illud quam econverso. Igitur, eque principaliter significabit utrumque, ergo eque supponet pro utroque et habetur propositum. Item album, aut solum, aut principaliter significat albedinem et secundario subiectum, et tamen importat subiectum in recto et albedinem in obliquo, patet resolvendo et exponendo, album enim dicitur habens albedinem. Deinde probatur quod illud non impedit quin possit supponere pro utroque. Primo, quia signum [43a] potest convenienter accipi pro suo significato quod necessario et distincte exhibetur, et intellectus convenienter potest uti illo pro suo obiecto significato. Secundo, quia album et huiusmodi concreta significant primo formam et secundario secundum, et tamen nata sunt supponere pro subiecto, ut album currit et animatum vivit. Tertio, ens primo et principaliter significat substantia et secundario accidens ex 4 et 7 Methaphysice et tamen vere dicitur de utroque. Confirmatur: sanum significat principaliter animal et secundario cibum vel urinam, et tamen dicitur de utroque, licet de uno in habitudine et analogia ad alterum. Quarto, que proportio et ordo erit in significando, pari ratione in supponendo, sicut ergo conceptus significat hoc primo et secundario illud, ita principaliter supponet pro hoc, et secundario pro illo ut positum est de sano. Quinto, importare aliquid in obliquo non impedit quin possit supponere pro illo. Probo, quia obliquus supponit et intellectus utitur illo in propositione pro eo quod importat in obliquo, ut dicendo ‘hic asinus est fortis’, li ‘fortis’ supponit pro aliquo suo significato. Si vero dicitur ad aliquod istorum quod huiusmodi conceptus comparativus, ideo significare hoc et illud enim uniformiter nec eque primo, quia

significat hoc, puta *b* tamquam principium habitudinis et tamquam fundamentum vel subiectum comparationis et tamquam illud quod comparat, sed significat alterum extremum, puta *c* tamquam terminum et sine talis habitudinis et comparationis et tamquam illud cui comparat alterum tamquam terminum ad quem intellectualiter procedit, econtra de alio conceptu corelativo. Contra, per *a* conceptum relativum et comparativum, ita comparat intellectus *c* ad *b*, sicut *b* ad *c* et per *a* eque intelligi *c* in habitudine ad *b*, sicut in habitudine ad *c* et eque refert hoc ad illud sicut econtra. Ergo, non secundum hoc est in tria. Antecedens probatur, quia per *a* intelligitur *c* formaliter, aut ergo ad *b* et absolute, aut relative et comparative. Si secundum, propositum, quia non est nisi in relatione ad *b*. Si primum, contra: quia tunc etiam conceptus absolutus ipsius *c* et esset de genere absoluto et quia *c* intelligitur ut finis et terminus cuiusdam habitudinis, ergo in respect ad aliud. Secundo, aut significaret primo et principaliter illud quod significaret tamquam principium et fundamentum habitudinis, et secundo illud quod significant tamquam terminum aut econtra. Si primum, contra: quia album, risibile, calefactibile, informabile etc., sunt conceptus comparativi et relativi, et significant aliquid in habitudine ad aliud. Et illud quod importatur tamquam principium talis habitudinis, non significatur primo, quia primo significant formam. Si secundum, contra: quia totum primo significaret partem, et pars primo significaret totum, et secundo partem, et creator primo significaret creaturam, et creatura primo significaret Deum et secundo creaturam, quod est falsum, quia convenientius dicitur econtra, et quia primo pro illo supponeret. Tertio, de primario et principaliter intelligeret creaturas et seipsum secundo. Probo, quia refert creaturas ad seipsum. Pro responsione ad ista, concluderent enim de intellectione divina, et de conceptu composito ex conceptu recto, et ex conceptu obliquo de oratione convertibili cum termino relativo composita ex recto et obliquo. Notandum quod conceptum supponere pro aliquo obiecto potest intelligi dupliciter uno modo large et improprie, quia intellectus se habet ad illud non precise ut ad formam inherentem et inexistentem et formaliter perficientem, vel ut tale entitatem substantialem vel accidentalem, scilicet etiam ut ad exemplar per quod intellectus formaliter tendit in alterum, et per quod intellectui exhibetur et offertur et apparet quoddam alterum, et sic conceditur quod terminus relativus supponit pro utroque extremo, sicut et oratio in quam resolvitur et per quam exprimitur, et hoc non est proprie supponere, quia terminus etiam extra propositionem sic accipitur, non precise per se quatinus quedam res substantialis et accidentalis. Sed intellectus utitur illo pro alio ut significato, et si hoc dicatur supponere, hoc erit supponere secundo et indirecte, alio



modo proprie et stricte, quia intellectus per illud non solum formaliter tendit in alterum, nec precise utitur illo pro alio, sed quia taliter utitur [43b] illo pro tali obiecto, quia obiectum hoc est illud quod significatur esse vel non esse huiusmodi cuiusmodi esse vel non esse significatur per illam enuntiationem, et quod illud est huiusmodi si enuntiatio est vera et illud obiectum esse huiusmodi, sufficit vel requiritur ad veritatem talis enuntiationis. Et sic dicendo ‘asinus fortis currit’, subiectum non supponit pro forte, sed tantum pro re que est asinus fortis. Sed primo modo subiectum supponit pro utroque, et utrumque aliquo modo pertinet ad veritatem vel falsitatem propositionis, et pro utroque aliquo modo verificatur vel falsificatur proprio. Ex his patet ad primum. Ad confirmationem negetur consequentia, quia licet conceptus generis significet magis confuse singularia, tamen significat illa equaliter et uniformiter, et eque primo et directe et est formalis mediante conceptu huius vel illius indifferenter eodem modo. Ad aliam confirmationem conceditur consequentia ceteris paribus, sed in proposito cetera non sunt paria, ut infra dicetur. Deinde, ad ea quibus probatur quod uniformiter significat utrumque, dicendum quod dicitur significare est primo et principaliter immediate et directe illud quod importat quasi principium et terminum a quo huius habitudinis et comparisonis que est quasi quidem processus intellectualis, secundum quem intellectus procedit ex hoc ad illud. Dicitur autem significare secundario et indirecte illud quod importat quasi terminum ad quem talis processus intellectus comparativi. Et dicitur conotare illud et significare in obliquo, quod huiusmodi conceptus comparativus per se formaliter et naturaliter mediante recto conceptu huius, et mediante conceptu obliquo illius extremi et oratio per quam convenientius et magis proprie et directe et primo exponitur et explicatur. Et in quam sic resolvitur conceptus componitur ex recto huius et obliquo illius, et e contra de alio correlativo. Ad primum, igitur, negatur antecedens large sumptum, et in sensu in quo sit. Ad probationem, licet huiusmodi conceptus materialiter loquendo non habeat plures modos significandi, quia modus significandi est realiter huiusmodi conceptus, tamen virtualiter et implicite seu equivalenter dicitur habere plures modos significandi, secundum quorum unum significat hoc extremum, et secundum alium aliud, quia significat hoc quasi principium habitudinis et illum quasi terminum, continet enim et habet virtualiter et implicite illos modos significandi quos habent conceptus absoluti, ex quibus per se formatur et quos habet oratio per quam per se habet exponi et describi, habet enim formaliter unicum modum significandi qui est virtualiter et implicite plures modi, secundum quorum unum significat hoc et scilicet alium aliud, sicut Deus diceretur aliter velle bona et mala. Et qui vult

voluntate signi et qua voluntate beneplaciti vel qua voluntate efficaci; et sicut diceretur aliter scire necessaria et contingentia, sumendo vero antecedens materialiter, et in sensu quem facit de vi verbi, conceditur antecedens et consequens. Sed non est contra intellectum supra expositum. Ad confirmationem, hec alietas accipenda est in actu quatinus est exemplar, et talis cognitio obiectorum non quod sit formaliter alietas realis in actu, sed tantum virtualiter secundum equivalentiam et implicationem est autem formaliter in conceptibus simplicibus ex quibus formatur, vel in oratione per quam quasi descriptive explicatur. Ad secundum negetur consequentia, non enim significat idem vel diversis modis significandi veraciter oppositis et repugnantibus, sed tantum in figura et similitudine, sicut divinus intellectus intelligens formaliter hoc esse idem illi intelligere diceretur hoc et illud recte et obliquo, vel nominaliter et verbaliter, quia intelligit illa quoddammodo illicito et equivalenti variis modis. Quod autem non sit significare illud modis repugnantibus patet exponendo quid sit significare hoc primo et secundario, quia hoc est significare hoc ut principium comparationis et tamquam illud cui comparatur et in hoc nulla est repugnantia. Ad tertium illud procedit de termino significante plura diversis impositionibus et sub diversis conceptibus, quorum quilibet vel alter est sufficienter conceptus cui subordinatur et mediante quo imponitur et facta et completa una impositione consequenter sit alia ad confirmationem per idem. Ad quartum non est hic **[44a]** proprie et formaliter ordo rerum, sed ordo signi ad plura significata et est ordo in virtuali equivalentia secundum similitudinem ad ordinem successionis et dignitatis, quia comparatio intellectualis in quadam similitudine est quasi processus anime ab hoc ut principio ad illud ut terminum. Et forte est realis successio in formatione prioritatis conceptuum mediantibus, quibus formatur ille comparativus. Et prius formatur conceptus rectus huius extremi, et postea conceptus obliquus alterius extremi. Deinde, ad ea quibus probatur quod non significat hoc in recto et illud in obliquo, potest dici quod proprie et formaliter non habet huiusmodi modos significandi quos habent partes orationis correspondentis, sed habet aliquem unum illicitum equivalentem illis et continentem virtualiter et implicite illos. Et dicitur significare hoc in recto et illud in obliquo, quia per se et directe formatur ex recto huius et obliquo illius. Et equivalet tali composito et per se et directe et magis proprie exponitur et explicatur quasi diffinitive per huiusmodi compositum si sit rectus. Et tale compositum vel oratio ei correspondens non verificabitur de utroque extremo demonstrato, sed tantum de altero, quedam autem differentie conceptuum ex quibus formantur sunt accidentales conceptus relationis, ut puta genus, numerus

etc., et quasi impertinentes et per accidens inspicientes conceptum relativum. Sed differentia recti et obliqui magis per se presupponitur, potest etiam huiusmodi terminus relativus exponi per orationes varias, quarum una magis per se et proprie et directe, est expositiva et descriptiva et resolutiva illius, quarum etiam aliquae sunt truncate et imperfecte, ut Deus est ‘creator’ est ‘a quo est creatura’ ibi subintelligitur qui deus, scilicet creator est ‘illud a quo’ etc. Ex his patet responsio ad illa quibus probatur quod illud non impedit propositum. Ad primum patet supra. Ad secundum, quamvis album et huiusmodi concreta dicuntur significare primo et principaliter formam in hoc sensu, quia distincte significant formam et eque distincte sicut significatur per abstractum illius concreti significat autem subiectum confuse et indistincte. Conceptus etiam huius concreti non formatur nisi mediante proprio et distincto conceptu talis forme, non autem oportet quod mediante proprio et distincto conceptu talis nature subiecte, immo sumendo huiusmodi terminos secundum primariam impositionem, ultra quod conceptus mediante quo ponitur et cui subordinatur tale concretum sit conceptus forme absque conceptu substantie cui per modum subiecti inhereat talis forma, quia ante discursum inquisitivum quo inquiritur aliqua substantia subiecti albedini, ut forme inherenti. Impositum est nomen albi et similiter nigri et similis et dissimilis et albedo separata, sicut in hostia consecrata diceretur esse aliquod ens album, sicut hostia nunc consecrata, secundum primariam impositionem huiusmodi concretorum, et ita secundum primam impositionem huiusmodi terminorum ex intentione imponentium talis terminus concretus non significat per se substantiam subiectam accidenti, tamen accipiendo concreta secundum usum philosophorum post discursum inquisitivum, quia talis conceptus et terminus significat substantiam quasi principium cuiusdam comparisonis vel compositionis et oratio per se et directe explicativa significationis talis concreti componitur ex recto et obliquo significante substantiam vel quasi substantiam, et ex obliquo significante formam vel quasi formam. Ideo supponit pro subiecto tamquam pro re qua significatur esse huiusmodi et quam esse huiusmodi sufficit et requiritur talis predicationis ad veritatem, accipiendo igitur significare principaliter in hoc intellectu conceditur quod huiusmodi concretum principaliter significat subiectum vel quasi subiectum secundum usum philosophorum post inquisitionem, quia album dicitur cui inest albedo, vel quod idem numero natum est esse album et nigrum successive, et quod se habet ad esse album quo modo idem corpus ad esse in loco hoc vel in illo, licet autem secundum usum philosophorum conceptus talis concreti non sit mere absolutus. Tamen non est proprie de predicamento relativo, quia

predicationi in quale non per se et realiter convenit habitudo alicuius ut subiecti ad alterum, ut formam informantem nec talis predicatio per se significat huiusmodi habitudinem alicuius ut subiecti ad alterum ut forma inhe- [44b] –rentem. Sed abstrahit ab hac habitudine, significat enim id quod est quale, et illud quo est quale sive sit idem sive non, sive sit comparatio realiter et materialiter, sive tantum in similitudine. Predicatio autem concreti de aliquo subiecto non significat formaliter, hoc esse huiusmodi concretive in habitudine ad alterum, vel quasi alterum, ita quod non sibi convenienter additur obliquus quasi determinatio explicans terminum habitudinis. Sed significat illud esse quale tale autem predicamentum dixerunt philosophi pertinere ad genus qualitatis, non relationis. Ad tertium procedit de significare plura diversis impositionibus, et secundum diversos conceptus quorum quilibet vel alter per se est ratio sufficiens impositionis. Ad quartum procedit de suppositione large et improprie. Ad quintum, immo impedit significare in obliquo iuxta modum supra expositum, id est quasi terminum habitudinis et quantumcumque illud relativum sumatur in recto, tamen oratio que est quasi ratio formalis correspondens habebit illud extremum in obliquo. Responsio ibi posita conceditur. Ad primam probationem negatur antecedens. Ad probationem, dicendum quod per *a* concipitur *c* non absolute ad se, sed relative non tamen proprie tamquam illud quod referatur et compertur ad alterum, sed tamquam id cui alterum comparatur et ad quod alterum refertur, et tamquam terminus ad quem et in quem tendit et procedit intellectus. Conceditur tamen quod per aliquem conceptum concretum relativum posset utrumque extremum sic relative concipi quod non magis hoc tamquam principium et illud tamquam terminus quam econtra, ut dicendo hec alba sunt similia et tunc conceditur quod potest supponere tam per hoc quam per illo. Ad secundum patet ex dictis. Ad tertium negatur consequentia, non enim simpliciter primo cognoscit creaturas, quia si referat illas ad se, tamen hec eadem cognitio est cognitio essentie tamquam primarii obiecti. In quo representantur omnia alia intelligibilia, et secundum illud quod sunt et in relatione ad essentiam. Ad 10 principale negatur consequentia. Ad probationem non sunt illorum uniformiter patet supra ad aliud non potest concipi Pater ut Pater, et sub ratione Patris, nisi concipiatur illud quod est Filius, quia per conceptum Patris concipitur res que est Pater in habitudine ad illud quod est Filius, tamen non oportet quod habeatur formaliter et actualiter conceptus Filii, ut Filius, vel conceptus correspondens huic termino ‘Filii’. Ad confirmationem posset negari consequentia, diceretur enim quod eedem cause naturales, scilicet conceptus extremorum causant similiter naturaliter utrumque, vel conceditur consequens. Ad 11, negatur consequentia

intelligendo consequens quod conceptus correspondens termino correlativo ponatur, non ut additamentum in formali et quidditativa diffinitione relativi, sive in recto sive in obliquo, tamen per diffinitionem formalem et quidditativam relativi significatur utrumque extremum comparatum. Ad confirmationem concedo quod ultimate resolvendo in formali et per se diffinitione unius relativi non convenienter ponitur expresse conceptus correlativi ut formalis conceptus Patris non habet poni in diffinitione Filii, nec econtra esset enim circulatio in diffinitione et consequenter petitio principii et inter rogans quid est Pater et quid est Filius, non posset edoceri. Si ei dicitur quod Pater est qui genuit vel qui habet Filium supponitur sciri quid sit Filius et si Filius diffinitur ‚qui habet Patrem‘; presupponitur et perexigitur sciri quid est Pater. Item, vel *a* conceptus est certior et clarior quam *b* conceptus correlative aut ingentior aut precise eque notus et loquor de notiori uni formaliter scilicet quo ad nos vel quoad naturam. Si primum, igitur *b* non convenienter ponitur in diffinitione *a*. Si secundum, ergo non convenienter diffinitur *b* per *a*. Si tertium, ergo inconvenienter et frustra diffinitur hoc per illud, quia dubitanti et querenti quid est hoc, non est sufficiens responsio per eque ignota. Item, in relativis equiparentie non diffinitur unum formaliter per alterum. Et pari ratione in relativis disquiparentie. Antecedens patet, quia diffinitum poneretur in sua diffinitione, quia idem relativum dicitur de utroque extremo. Patet consequentia, quia non minus hoc dicitur in habitudine ad illud in istis quam in illis, dicendum igitur quod quamvis in diffinitione Patris ponatur aliquid per quid significatur id quod est Filius [45a] et quod natum est supponere pro eo quod est Filius, et de quo natum est predicari correlativum Filii non tamen habet poni conceptus filii. Species enim immediate sub aliquo genere non diffiniunt se invicem circulariter, cum autem Aristoteles dicit, quod ‚qui distincte noverit unum relativorum distincte novit et reliquum‘, et cum Porphyrius dicit ‚quod necesse est in utrorumque diffinitionibus utrisque rationibus uti‘, intelligendum est quod in diffinitione unius ponitur aliquid significans formaliter extremum in habitudine ad quod dicitur diffinitum et habens diffinitionem unius, habet virtualiter et habitualiter, vel in potentia accidentali et propinqua, diffinitionem alterius.

Ad 12, negatur consequentia, quamvis ei ‚duplum‘ et ‚duplum dimidii‘ convertantur et significant eadem adequate; tamen non est nugatio dicere ‚duplum dimidii‘, quia non est vana et inutilis et inconveniens seu irrationabilis repetita significatio eiusdem significati, quia illud quod est dimidium significatur aliter per conceptum dimidii quam per conceptum dupli. Et perfectius intelligitur vel significatur talis habitudo explicando utrumque conceptum

correlativum et perfectius et aliquo modo distinctius cognoscit extremum et terminus comparisonis, cum exprimitur correlativum quam si non exprimatur. Sed illo semel addito frustra bis iterum adderetur. De hoc Aristoteles 2 Elenchorum ultra medium sic ait: “Non est dandum eorum que ad aliquid dicuntur significare separatas predicationes per se”, ut duplum sine eo quod est duplum dimidii, quantum in eo videtur, id est, licet in conceptu dupli aliquo modo videantur concipi illud quod est dimidium, non tamen est concedendum quod eadem sit significatio et quod idem in conceptu correspondeat isti termino duplum et isti orationi duplum dimidii, quia non vitarent nugatio et subdit immediate. Nam et in 10 uno minus decem intelligitur et facere et non facere, et omnino in negatione dictio, si tamen quis dicat “hoc non esse album” non dicitur idem esse album: vult dicere quod, quamvis intelligibile significatum per hoc signum concipiatur aliquo modo in totali significato per illud aliud signum, non tamen est dicendum quod illis signis idem correspondeat in mente, et quod significant uniformiter idem. Ideo non est nugatio adere hoc signum illi, licet idem significatur per utrumque et subdit duplum, vel significat quam admodum in dimidio est quod si forte significat, aut non idem et copulatum, id est aut duplum per se sumptum non significat formaliter idem quod est dimidium aut non eodem modo, sicut compositum ex utroque conceptu.

Ad argumentum in principio questionis patet ex dictis.

Secundo, circa primam distinctionem, quia omnis apprehensio veridica vel falsidica videtur esse apprehensio comparativa alicuius ad aliquid, quero utrum intellectus noster per actum per se unum et simplicem in essendo apprehendat formaliter quod Deus est summum bonum quo fruendum est. Quod non, quia non esset apprehensio complexa, sed potius incomplexa, quia non componitur ex incomplexis. Consequens est contra Aristotelem tertio De anima, ubi distinguit operationem intellectus complexam ab incomplexa, in qua non est verum nec falsum. Contra, si non sit actus per se unus, sed tantum aggregatio plurium incomplexorum, sequitur quod illa divisio operationum anime in apprehensionem complexam et incomplexam non sit conveniens. Probo, quia non esset aliud quam dicere actum intellectus quidem est unus et quidem sunt plures et similis divisio eque ponenda esset in operatione sensus exterioris et in omni potentia operativa. Intentio questionis an apprehensio intellectualis veridica vel falsidica que dici solet propositio mentalis et apprehensio complexa sit formaliter composita ex variis actibus alterius rationis correspondentibus terminis propositionis vocalis vel sit actus simplex in

essendo et in sua realitate totaliter distinctus ab actibus incomplexis correspondentibus partibus propositionis vocalis.

Prima conclusio: nulla apprehensio intellectualis veridica vel falsidica est precise conceptus absolutus aut conceptus absoluti incomplexi simul iuncti in anima, sed est apprehensio comparativa vel includens actum comparativum distinctum **[45b]** ab absolutis. Probatur per omnem huiusmodi apprehensionem. Intellectus comparat aliquod obiectum sibi ipsi vel alteri, sed per nullum conceptum absolutum, nec per quoscumque conceptus absolutos precise simul sumptos comparat intellectus aliquod obiectum sibi ipsi vel alteri, ut patet ex questione precedente. Maior probatur, quia in affirmando vel in negando componit significative aliquid cum aliquo vel dividit aliquid ab aliquo et significat aliquod intelligibile esse vel non esse idem cuidem intelligibili. Preterea, sensus formaret propositiones affirmativas et negativas, quia habet pluralitatem apprehensionum absolutorum. Preterea, duo conceptus absoluti, puta conceptus hominis et conceptus animalis simul precise positi non sunt propositio mentalis, ergo pari ratione nec tres absoluti simul positi nec quattuor. Antecedens patet, quia possunt haberi absque formatione propositionis, immo sunt indifferentes ad diversas propositiones, puta ut hoc subiiciatur et illud predicetur, vel e contra, ut fiat enuntiatio de presenti vel de preterito vel futuro. Ergo, vel sicut omnes ille vel nulla illarum. Sed non omnes, ergo nulla. Confirmatur, habitis prius illis conceptibus absolutis potest noviter formari ex illis talis propositio, ergo mutatio in intellectu, aut igitur per additionem novi actus comparativi et sic propositum; aut per additionem novi actus absoluti; et hoc non, quia non magis fiet propositio propter additionem illius quam ex prioribus absolutis, aut per novam unionem et compositionem illorum conceptuum preexistentium in anima; et hoc non quia non magis uniuntur per continuationem extensivam, nunc quam prius, quia simul erant situ et subiecto, nec uniuntur per intensionem graduale; tum quia sunt alterius rationis; tum quia si nata sunt facere unum per se intensius, ergo prius faciebant huiusmodi totum intensius, vel perexigitur alia mutatio. Preterea, omnis apprehensio veridica in intellectu numero vel falsidica exigit conceptum verbalem. Sed talis non est pure absolutus, sed comparativus, tum quia concernit et conspicit tempus; tum quia significat aliquid quasi attributum alicui. Ideo dicitur primo Peri Hermeneiam quod verbum semper est nota eorum que de altero predicatur; tum quia, vel est copula vel implicat illam, vel est resolubile in illa, sed copula significat quasi compositionem quorundam.

Secunda conclusio: inquirendo an huiusmodi conceptus comparativus requisitus preter absolutos unicus et simplex in essendo sit formaliter et sufficienter propositio mentaliter seu apprehensio complexa veridica vel falsidica, que significat formaliter “Deum esse summum bonum”, et per quam intellectus formaliter intelligit quod Deus est summum bonum. An propositio mentalis seu apprehensio complexe veridica vel falsidica includat formaliter huiusmodi conceptum comparativum et extremos conceptus quos copulat, sicut correspondenter de propositione vocali vel scripta. Et primo arguitur quod sit conceptus comparativus unicus et precise simplex in essendo et non aggregatio conceptuum correspondentium partibus propositionis vocalis, sic omnis actus intellectualis comparativus alicuius ad aliquod est apprehensio una, respectu utriusque extremi, patet ex precedenti questione. Sed apprehensio veridica est actus comparativus alicuius ad aliquid, quia est figurative compositio alicuius cum aliquo, vel quasi divisio alicuius ab aliquo. Et significat aliquid esse idem vel non esse idem cuidam, ergo. Confirmatur, quia in formatione istius “Petrus est homo”, preter conceptum absolutum Petri et conceptum specificum hominis, requiritur et tertius conceptus totaliter distinctus et alterius rationis correspondens aliquo modo copule verbali sit ille conceptus *a*. Probo quod *a* est sufficienter propositio mentalis; sic illa apprehensio veridica complexa vel falsidica que precise existente in anima per potentiam dei intellectualis formaliter cognoscit “Petrum esse hominem” est propositio mentalis *a* est huiusmodi. Probo, quia intellectus per *a* formaliter comparat Petrum homini et cognoscit compositionem vel unionem, vel identitatem eorum vel unitatem que significatur per extremos conceptus seu identitatem Petri ad hominem, et significat verbaliter, igitur per *a* cognoscit formaliter Petrum esse hominem. Ex quo ultra arguitur, quod illi conceptus extremi [46a] non sunt partes intrinsece propositionis, quia illis circumscriptis dicit anima verum vel falsum ut prius, et significatur formaliter hoc esse vel non esse huiusmodi. Confirmatur: aut *a* significat ex exhibet precise illud quod conceptus Petri, aut precise ea que conceptus specificus hominis; aut tam hec quam illa; aut nec hec, nec illa, sed quoddam aliud obiectum. Si primum vel secundum.

Contra: quia non est ratio quare magis significet tantum ea que significantur per unum extremum quam que per aliud. Si quartum, contra: tum quia ad apprehendendum quod Petrus est homo, non oportet apprehendere alia animalia, ergo nec alia entia preter Petrum et hominem, tum quia per illum non comparatur illud quod significatur per hunc conceptum ad illud quod significat per illum conceptum, tum quia formatur ab illis. Si tertium, cum non significet illa mere absolute



sicut illi conceptus extremi, quia non fieret propositio; igitur non significat hoc et hoc comparative per modum unionis et identitatis et unitatis et significat verbaliter “Petrus esse hominem” et propositum diceretur quod *a* conceptus tertius additus non est formaliter actus cognoscendi, nec significat formaliter aliquod obiectum. Sed est actus unitivus et compositivus, seu unio et compositio conceptuum extremorum, et potest dici compositio seu copula quasi relatio et res quedam respectiva. Contra, primo probatur quod sit formaliter signum et cognitio alicuius obiecti, quia si non est cognitio nec signum alterius, ergo propter eius additionem non cognoscit formaliter intellectus hoc comparative in ordine ad illud magis quam prius, quia non advenit nova significatio vel cognitio. Item, est conceptus verbalis et ei subordinatur in significando terminus verbalis qui est terminus significativus, immo cathegoreumaticus. Item, cosignificat tempus, ergo significat ipsum simul cum alio significato. Item, operatio et actus secundus potentie intellective est intellectio. Item, est actus causatus et impressus ab aliquo intellectu et est abstractus a rebus, ergo est signum representativum naturale alicuius. Deinde, probatur quod ille tertius conceptus non est propositio vel unio conceptuum extremorum absolutorum. Primo, quia est actus cognoscendi, ergo quedam qualitas, sicut conceptus extremorum, ergo eo addito sit maior pluralitas qualitatum alterius rationis quam prius, igitur, minor unitas. Ergo, per tertium illum conceptum non sit unio, sed maior aggregatio. Confirmatur: quero qualiter unit *a* et copulat illos conceptus absolutos preexistentes. Non enim facit illos esse unitos situ et subiecto, quia prius sic uniebantur, nec per continuationem vel contiguationem. Patet, nec quod unus informet alterum, aut quod ambo informantur ab illo tertio non videtur, ergo ille tertius magis unibilis cum altero extremorum quam extremum cum extremo. Item, si est unio et relatio ultra quod semper naturaliter ponitur positus illis extremis, scilicet fundamento et termino. Non enim pertinet nisi ad quartum genus. Item, si verbum predicetur tamquam extremum per quod copulatur illud extremum, si autem dicitur quod *a* est cognitio, sed non alterius nec supponit. Contra, quia cosignificat tempus cum sit conceptus verbalis copula preteriti et futuri temporis non significat precise se, sed differentias temporum. Item, propter additionem eius non aliter quam prius cognosceretur obiectum subiecti et obiectum predicati, ergo non cognoscitur hoc in habitudine ad illud vel esse idem vel distinctum ab illo magis quam prius. Item, vox illi subordinata non significaret nisi illum conceptum, ergo omnis propositio affirmativa esset falsa, nec esset ita in re circumscripto opere intellectus sicut esse significaretur per propositionem vocalem. Si aliter dicitur quod ille conceptus additus non est

complete propositio, licet significet ea que significantur per conceptus extremos, quia significat illa communissime et confuse per illum, enim conceptum copule ut distinguitur ab omni alio concipitur verbaliter quodcumque intelligibile in quadam habitudine generalissima ad intelligibile, ideo non superfluum conceptus extremi determinati. Contra: si ille conceptus significat com- **[46b]** –parative et verbaliter in communi ea que distincte significantur per illa extrema absoluta, sequitur quod ille conceptus per se formaliter sumptus equivalet in significando isti complexo “ens est ens” vel “intelligibile est intelligibile”, ergo alicui vocali complexo veridico correspondet in mente unus actus simplex in essendo, et propositum. Item, sequitur quod habito conceptu Petri et conceptu hominis et illo conceptu copule non magis significo et apprehendo Petrum esse hominem quam lignum esse corpus. Probo, quia nec per conceptum Petri, nec per conceptum hominis comparo Petrum homini, nec alicui alteri, nec intelligo identitatem alicuius ad aliquem, nisi per illum tertium conceptum. Sed per illum conceptum non intelligo comparative magis Petrum hominem quam lignum vel corpus, ergo. Item, si per aliquem conceptum correspondentem copule verbali concipitur confuse, et in communi aliquid in habitudine identitatis ad aliquid, sequitur quod per aliquem conceptum verbalem copulativi concipiuntur comparative et distincte aliqua, et ita erit in proposito propositio determinata. Probatio consequentie, quia conceptus communis et transcendens potest habere conceptum per se inferiorem et distinctiorem. Patet tam in conceptibus absolutis quam respectivis, immo ex conceptibus extremis absolutis alterius rationis causabitur conceptus verbalis comparativus alterius rationis, sicut enim identitatis Petri ad hominem est alterius rationis ab identitate Brunelli ad asinum, sic potest correspondere ei conceptus verbalis comparativus est copulativus alteri rationis, et illa distinctius representans ea que comparantur. Confirmatur, quia talis conceptus verbalis comparativus communis et transcendens et confusus videtur naturaliter presupponere aliquem per se inferiorem et distinctiorem, sicut conceptus relationis in communi non videtur naturaliter causari in nobis, nisi prius habuerimus aliquis conceptus relationis inferiores, puta conceptum similitudinis vel equalitatis. Si aliter dicitur ad principalem responsionem, quod apprehensio complexa componitur ex diversis conceptibus alterius rationis qui sunt simul in intellectu, non tamen in sua actualitate completa, nec in sua realitate integra et terminata, quia sic nihil unum facerent, sed sunt ibi in quadam imperfectionem et fractionem, sicut in sillaba vel dictione remanent soni litterarum, non in sua actualitate et terminatione integra, sed in quadam fractionem et imperfectionem. Patet de sonis

cuiuslibet littere, in hac sillaba “sto”. Contra: sit *a* conceptus hominis remanens formaliter in hac apprehensione complexa “homo est animal”, et sit *b* conceptus animalis remanens in eadem remotis actualibus determinationibus; aut ergo *a* est cognitio hominis aut non. Si secundum, ergo per huiusmodi apprehensionem non cognoscitur hominem esse animal. Si primum et non nisi cognitio absoluta et specifica, igitur est eiusdem rationis cum conceptu hominis priori extra propositionem, igitur non magis componit propositionem quam prior cum sua actualitate terminata. Item, perfectius cognosceretur homo extra propositionem quam in propositione. Item, sit *a* illud quod remanet de conceptu hominis in propositione, et sit *c* illud quod remotum est *a* priori conceptu hominis, aut igitur *a* et *c* sunt eiusdem rationis, aut alterius. Si primum, igitur sicut unum natum est manere in propositione et reliquum. Si secundum, contra: tunc non facient per se unum nec intensius, nec extensius, tum quia neutrum vel utrumque erit cognitio hominis specifica et absoluta, ergo eiusdem rationis sunt eum conceptus nominales absolute, quia eorumdem obiectorum, ergo unum natum est subiici et predicari et supponere pro eisdem pro quibus alterum, tum quia quilibet conceptus specificus erit totum etherogeneum. Exemplum illud de sonis litterarum non valet, quia ideo pars soni manet in sillaba et pars tollitur, quia voces formantur mediantibus diversis organis diversarum figurarum vel quantitatum, et aliquis formam mediantibus pluribus organis et instrumentis et aliis mediantibus paucioribus, illa etiam organa possunt sibi invicem varie applicari sibi invicem corporaliter secundum partes suas. Ideo, secundum cursum plurium vel paucorum organorum et secundum [47a] aliam et aliam apprehensionem et motum illorum possunt formari voces varie secundum maiorem vel minorem additionem et subtractionem. Sed nihil tale est in intellectu.

Secundo principaliter, sic sequitur quod in intellectu iste propositiones seu apprehensiones complexe essent eiusdem rationis, immo eade propositio “homo est animal” et “animal est homo”, et “omne album est corpus” et “omne corpus est album” et “omni parte continui est aliqua minor” et “aliqua est minor omni parte continui” et “omnem diem precessit aliqua dies” et aliqua dies precessit omnem diem”. Consequens est falsum, quia est una per se propria et directa altera, vero per accidens impropria et indirecta una est vera et necessaria, altera falsa et impossibilis. Probatur consequentia, quia quilibet illarum propositionum vel apprehensionum non erit nisi agregatio eorumdem conceptuum simul situ et subiecto indivisibili existentium, et ita composita, immo aggregata ex eisdem partibus. Unde una sit *a*, alia sit *b*, tunc isti actus incomplexi simul sumpti sunt *a*, isti actus sunt *b*, ergo *b* est *a*, vel sic in prima figura, isti simul

sumpti actus sunt *a*, scilicet *b* est isti actus ergo *b* est *a*; et in secunda figura sic: hoc aggregatum est *a*, sed *b* non est *a*, ergo *b* non est hoc aggregatum. Dices: iste partes aliter componuntur et ordinantur in *a* quam in *b*, quia terminus qui in *a* subiicitur et precedit copulam, predicatur in *b* et sequitur copulam, et e contra.

Contra: hic conceptus non precedit copulam magis quam ille, nec iste magis precedit copulam in *a* quam in *b*, nec aliter ordinatur vel componitur in *a* quam in *b*. Antecedens probatur: si sit ibi ordo et prioritas seu precessio. Quero quis non est ordo durationis et successionis, quia simul sunt, nec situationis localis patet, nec causalitatis et dependentie vel originis, quia neuter est ab alio vel non magis quam prius, nec ordo nature, quia non minus potest esse hic conceptus sine illo quam e contra, et quia esset circulus in ordine naturali eorumdem, ergo nulla videtur ratio differentie secundum ordinem et compositionem. Confirmatur, si omnes partes propositionis vocalis vel scripte essent simul duratione situ, et subiecto non esset differentia per quam hec pars esset subiectum precedens copulam et illam esset predicatum sequens copulam magis quam e contra, ergo similiter de propositione mentali. Confirmatur: sequitur quod intellectus habens conceptum Petri et conceptum Pauli non posset formare istam “Petrus est albus”, quin formaret istam “Paulus est albus”. Probo, quia ille conceptus verbalis non minus componitur cum isto conceptu quam cum illo, quia est eque presens et eque componibilis, et quia non componitur per continuationem vel per informationem, et per consequens intellectus non posset formare istas “Petrus currit et Paulus disputat”, qui formaret istas “Petrus disputat et Paulus currit”. Unde, si aliquis angelus videat omnes istos conceptus in intellectu alterius angeli, non ex hoc cognoscet quod ille angelus formet hanc proportionem magis quam illam.

Tertio, arguitur: anima non minus potest uno actu realiter simplici apprehendere *a* esse *b* quam iudicare et assentire *a* esse *b*. Sed hoc potest, ergo maior patet pari ratione, quia assensus et iudicium sunt apprehensiones complexe, vel non minus actus complexi quam actus apprehensivi. Minor probatur, quia assensus et iudicium quo iudico “hominem esse animal” vel “hominem non esse asinum” non componitur ex partibus alterius rationis totaliter distinctis correspondentibus partibus principalibus propositionis vocalis, quia tunc esset quoddam iudicium incomplexum sicut quadam apprehensio incomplexa, et esset quoddam iudicium sequens apprehensionem incomplexam quod est falsum. Confirmatur, quia actus quo assentitur

conditionalis et commune est unus conceptus non compositus ex pluribus actibus iudicandi, quia nec assentitur antecedenti, nec consequenti, et similiter de consequentia sylogistica.

Quarto, apprehensio complexa generat aliquem habitum per se unum et simplicem in essendo. Ergo [47b] contingit huiusmodi apprehensionem esse actum per se unum. Consequentia patet pari ratione de habituali et actuali notitia, et quia illi actus plures alterius rationis generabunt habitus plures alterius rationis. Antecedens probatur: habitus enim scientie vel fidei noviter genitus ex apprehensionibus complexis non est precise ille prioris species intelligibiles in gradu intensiori, per solam enim intensionem illarum specierum intelligibilium preexistentium a principio notitiarum incomplexarum non sit habitus specie, quia per solam frequentationem notitiarum incomplexarum intenditur.

Quinto, contingit apprehensionem que est actus per se unus simplex in essendo esse apprehensionem veridicam, igitur contingit propositionem mentalem et apprehensionem complexam esse actum per se unum simplicem. Consequentia patet, quia si est veridica, igitur significat *a* esse vel non esse huiusmodi. Antecedens probatur: primo, de notitia divina; secundo, de signis quorundam relativorum que sunt signa vera vel falsa et significant formaliter ex voluntaria institutione “*a* esse vel non esse huiusmodi”, et tamen non componuntur formaliter et intrinsece ex partibus quarum una sit signum nominale per modum subiecti, et altera sit signum verbale per modum predicati. Eodem modo, si aliqua vox imponeret ad significandum distincte et complexe illud quod tale signum vel nutus religiosi, igitur non minus potest esse signum naturale in anima simplex in essendo correspondens.

Sexto, sequitur quod apprehensio complexa seu propositio mentalis non esset veridica vel falsidica. Probo: sint *a*, *b*, *c* illi tres conceptus ex quibus dicitur componi propositionem mentalem; tunc sic: si isti tres conceptus forent successive in anima Petri, Petrus non significaret nec verum nec falsum, nec esset veridicus aut falsidicus, nec haberet aliquam apprehensionem veridicam aut falsidicam, nec formaliter apprehenderet aliquid esse huiusmodi. Ergo, nec si Paulus habeat illos actus simul, consequentia ista probatur, quia quicquid apprehenderet Paulus apprehenderet Petrus et e contra, quia omnem apprehensionem quam apprehensionem haberet iste haberet ille, licet iste simul ille successive. Antecedens probatur, quia Petrus dum haberet precise *a* conceptum, non significaret neque verum neque falsum, nec esset veridicus in enuntiando vel affirmando, nec formaliter significaret vel apprehenderet aliquid esse huiusmodi,

nec posset habere assensus vel iudicium, nec et pro tempore pro quo haberet precise *b* conceptum, nec pro tempore quo haberet *c* conceptum, pari ratione nec in termino temporis, quia tunc nullum actum haberet, nec complexum, nec incomplexum, nec ut dicere quod idem esset de propositione vocali, quia in ea non est veritas, neque falsitas, neque significatio, nisi quatinus subordinatur apprehensioni interiori mentali. Et est tantum vera extrinsece et accidentaliter, ideo potest dici vera pro qualibus parte temporis simul sumpta cum alia in respectu ad apprehensionem mentalem que simul habetur.

Septimo, voluntas unico actu potest velle vel nolle *a* esse huiusmodi, ergo et intellectus pari ratione intelligere. Non enim minus est potens intellectus ferri in illud quod voluntas. Antecedens probatur, quia si volo *a* esse huiusmodi, hic actus non componitur ex pluribus actibus volendi alterius rationis, quia quelibet esset quoddam velle correspondens apprehensioni incomplexo et consequens eam quod videtur falsum, quia omne velle vel nolle presupponit apprehensionem complexam, qua volo vel nolo *a* esse huiusmodi. Et quia preter actus absolutos esset actus voluntatis alius comparativus quo volo hoc in habitudine ad illud, ergo per illud volo aliquid esse huiusmodi et quia possum velle *a* esse huiusmodi, et tamen non volo, nec amo *a*, sed odio ut si volo *a* esse miserum, et quia actus delectationis vel complacentie vel gaudii et spei et actus tristitie et timoris sunt actus simplices in essendo, et tamen fertur obiective super *a* esse huiusmodi.

Octavo, sequitur quod negationi et signo universali vel particulari, et similiter terminis syncategorematici corresponderent proprii et distincti conceptus distincti ab alii partibus apprehensionis complexe. Consequens est falsum, quia talis terminus esset categorematicus ex qua ei corresponderet proprius conceptus. Consequentia patet, quia apprehensio complexa habens huiusmodi syncategoremata non includeret pre- **[48a]** –cise partes apprehensionis complexe non habentis huiusmodi syncategoremata.

In oppositum, primo tamen probo: quia componitur ex subiecto et predicato tamquam partibus suis, aut ex conceptibus alterius rationis, videlicet ex conceptu verbali et nominali. Patet primo Priorum, “terminus est in quem resolvitur propositio”. Hoc autem dico subiectum; illud autem predicatum in predicamentis singula predicamenta ipsa, quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur. Horum autem ad se invicem facta complexione sit affirmatio et multa huiusmodi reperiuntur dicta a philosophis et auctoribus.

Secundo, apprehensio secundum quam intellectus componit aliquid cum aliquo, vel dividit aliquid ab aliquo, non est actus simplex. Apprehensio complexa, veridica vel falsidica, est huiusmodi, quia intellectus affirmando componit aliquid cum aliquo, negando autem dividit. Maior probatur, quia res ad extra non componuntur nec dividuntur propter operationem intellectus, quia operatio intellectus est operatio imanens, et quia propter numerum affirmare vel negare nihil mutatur in re, ergo hec est compositio conceptuum in mente.

Confirmatur 3 De anima, “in quibus autem iam verum et falsum est, compositio quedam intellectuum est”.

Confirmatur: aliqua propositio mentalis copulat verbaliter aliquid cum aliquo, ergo non est actus simplex, quia copulatio est respectu diversorum. Antecedens probatur, quia est, ideo dicitur aliquando predicare tertium adiacens, quia sibi additur tertium inter quod et alterum extremum est copula media.

Tertio, aliquis actus intellectus incomplexus natus est predicari, et aliquis natus subiici. Sed non nisi sit pars propositionis mentalis, predicari enim et subiici non conveniunt signo, nisi posito in propositione; igitur, assumptum probatur. Et primo de conceptu generis et conceptu speciei eorum per diffinitiones. Predicantur enim in quid et dicuntur in quale. Et ideo dicuntur genera et species predicabilia de predicamento, quia nata sunt predicari, immo signum vocale vel scriptum non est natum subiici vel predicari, nisi ut subordinatur conceptui sibi correspondenti. Quedam etiam predicantur per se primo modo, quedam secundo modo, ut propria passio de subiecto, quedam per accidens, quedam in concreto, quedam in abstracto. Et generaliter nulla esset predicatio intellectualis, igitur nec affirmatio, nec negatio intellectualis. Et per consequens destruitur coordinatio predicamentalis apud intellectum, quia componitur ex predicabilibus. Predicabilia autem non sunt nisi conceptus incomplexi, nulla autem erit predicatio superioris de inferiori apud intellectum.

Confirmatur: conceptus verbalis est incomplexus, sicut et nominalis, quia non significat verum neque falsum, et tamen aptus est predicari, immo non videtur naturaliter posse formari nisi predicando. Secundum enim Philosophum, „verbum est semper nota eorum que de altero predicantur”. Unde, nihil concipimus verbaliter nisi per modum attributi alicui.

Quarto, videtur hec opinio destruere fere totam logicam, ut tradita est a philosophis. Probo primo, quia nullus erit discursus sillogisticus intellectualis. Probo, quia in sillogismo intellectuali non erunt tres termini neque erit dispositio prime figure, quia subiectum maioris predicatur in minore, et quod qualibet premissa constituatur ex medio et altera extremitatum, et quod conclusio constituatur ex maiori et minori extremitatibus. Non autem ex medio ex quo quelibet mentalis est actus simplex in entitate formali.

Preterea, non erit suppositio, distinctio, ampliatio, restrictio, quia non sunt proprietates nisi signorum incomplexorum, ut in propositione existentium; non, igitur, aliter supponeret subiectum quam predicatum, nec predicatum appellabit suam formam plusquam subiectum; nec valet illa ars solvendi insolubilia quod pars propositionis non supponit pro tota propositione.

Item, nulla erit conversio propositionum apud intellectum, quia conver- **[48b]** -sio est facere de subiecto predicatum, et econtra.

Item, non erit oppositio propositionum apud intellectum, nec oppositio contradictionis, quia propositiones opposite communicant in subiecto et predicato, vel in altero et multa alia, quibus utitur logica ut prius possunt ad hoc adduci. Si autem non conveniunt propositioni mentali, ergo nec vocali, quia partes eius non predicantur, nec supponunt, nec significant sic esse, nisi quatinus subordinantur mentali.

Quinto, in nulla propositione erit predicatio eiusdem de seipso magis quam in alia, ut in hac „homo est homo” quam in ista „homo est animal rationale”. Consequentia patet, quia utrobique subiecto et predicato vocali correspondet unicus actus et res pro qua stant est una. Consequens est falsum, quia 7 Methaphyice, querere propter quod ipsum est ipsum nihil est querere, nec demonstrabile. Ergo, in aliquibus est predicatio eiusdem de se et in quibusdam non.

Item, omnis affirmativa erit vera, quia erit identitas predicati et subiecti, et consequenter significati per subiectum ad significatum per predicatum. Veritas autem videtur ex hoc provenire et falsitas ex diversitate.

Sexto, propositio vocalis componitur ex signis, etiam alterius rationis. Patet, quia ex signo nominali et signo verbali, igitur et mentalis. Consequentia probatur primo, quia signum incomplexum extrinsecum, nec habet subiici, nec predicari, nec supponere, nisi subordinatur



conceptui mentali mediante quo importatur et mediante quo formatur, sicut nec habet significare, nisi quatinus illi subordinentur proprietates, igitur illius ut signi primo conveniunt conceptui, qui est signum mentale naturale. Voces enim sunt signa passionum que sunt in anima.

Secundo, si termino vocali per se sumpto correspondet conceptus incomplexus, et quo ponitur in propositione non correspondet ei similis conceptus incomplexus. Sequitur quod sumitur equivoce, quando per se sumitur et quando in propositione.

Tertio, omnes termini in propositione positi erunt synonymi, quia eis correspondet unicus conceptus in intellectu.

Septimo, propositio mentalis seu apprehensio veridica aut dicitur apprehensio complexa quia formaliter et intrinsece composita ex incomplexis, et tunc propositum, aut quia complexa obiective in representando et hoc non, quia accidit quod in re obiective significata sit compositio vel divisio, ut dicendo *a* est, vel dicendo *a* est *a*, et specialiter quia secundum te apprehensioni veridice vel falsidice non correspondet aliquod obiective intelligibile distinctum ab intelligibilibus incomplexis significabilibus.

Optimo, si propositioni vocali et obiecto incomplexo significabili correspondet in mente unicus actus simplex veridicus, quare ergo non imposuerunt doctores illi significabili unum nomen secundum illum conceptum et subordinatum illi conceptui. Hoc enim foret conveniens et utile ad exprimendum significatum per signum brevius.

Nono, alicuius propositionis vocalis subiecto vel predicato non correspondet in intellectu actus unus simplex, ergo multo minus toti propositioni. Antecedens probatur, cum diffinitio predicatur de diffinito, quia conceptus diffinitivus est compositus ex conceptu generis et conceptu differentie, aliter non esse diffinitivus et explicativus magis quam conceptus diffiniti. Similiter, de propositionibus in quibus subiectum supponit pro re cuius non habemus conceptum proprium simplicem, sed tantum compositum ex pluribus communibus, ut de Deo vel si cecus dicat intellectualiter sic sensibile aliud a gustabili, et visibili, tangibili, olfactibili sentitur ab aliis hominibus. Subiecto enim correspondet conceptus non simplex coloris, sed compositus, quia cecus non habet conceptum proprium simplicem de colore, igitur.

Decimo, copule verbali in propositione vocali correspondet in anima aliquis conceptus, sed ille non est tota propositio mentalis; ergo tantum pars et propositum. Prima pars antecedentis patet, alioquin frustra poneretur in propositione. Secunda pars probatur, primo quia [49a] in propositione vocali frustra ponerentur subiectum aliud et predicatum, si sola copula plata essent signum veridicum vel falsidicum, quia esset signum adequate correspondens et subordinatum apprehensioni veridice, sicut et tota propositio vocalis eidem enim apprehensioni corresponderet illa adequate.

Secundo, quia secundum Aristotelem, 1 Peri Hermeneiam, „ipsum est si pure dixeris nihil est”. Significat autem quandam compositionem quam sine extremis non est intelligere.

Undecimo, ex illis actibus est componibilis apprehensio complexa, quibus precise positus in intellectu circumscripto omni alio actu habetur propositio. Conceptus nominalis, incomplexus et conceptus verbalis incomplexus sunt huiusmodi. Probo, quia si conceptui nominali correspondenti Petrus iungatur precise conceptus verbalis incomplexus correspondens huic termino ‘currit’, vel est intellectus formaliter dicit quod Petrus est vel ‘currit’.

Duodecimo, idem conceptus exhibet idem obiectum modis repugnantibus. Probo, primo quia in recto et in obliquo singulariter et pluraliter, ut dicendo “homo est hominis” vel “homo est homines nominaliter et verbaliter”, ut anima animat, et ita significat cum tempore et sine tempore, quia conceptus verbalis cosignificat tempus et non conceptus nominalis abstractivae et concretivae absolute et relative, ut ‘albedo est alba’ affirmative et negative, ut ‘homo est non homo’ universaliter et particulariter, ut ‘omnis homo est quidem homo’ explicite et implicite, ut cum diffinitio predicatur de diffinito distincte et indeterminate et individualiter et specificae, vel generaliter, ut dicendo “Petrus est animal vel homo” concipitur Petrus individualiter, etiam concipitur omnis homo, vel omne animal confuse et ita eadem est notitia confusa et distincta eiusdem, idem actus etiam erit notitia intuitiva et abstractiva eiusdem, et clara et obscura, ut dicendo “hic color demonstratus est color”. Hec enim est intuitiva huius albedinis, quia demonstrata, et quia per eam evidenter demonstratur et iudicatur de existentia eius est etiam communis et abstractiva, quia per eam apprehenditur quicquid significatur per predicatum coloris, et ita de multis proprietatibus et conditionibus representandi repugnantibus ex suis rationibus formalibus.

Confirmatur, quia in predictis concipitur idem aliter et aliter. Sed hec alietas non est obiective in re extra, quia idem potest diversimode concipi, ergo est in actu intellectus.

Decimo tertio, pari ratione propositioni hypothetice correspondet unicus actus simplex in essendo. Consequentia patet, quia pari ratione correspondet unus actus iudicandi de consequentia et veritate conditionalis. Et quia interdum pauciores sunt termini in aliqua categorica quam in aliqua hypothetica, falsitas consequentis patet, quia componitur ex duabus categoricis, et quia potest formari ex contradictoriis.

Confirmatur, hec pari ratione toti syllogismo correspondet unicus actus simplex, et ita apud intellectum non erit distinctio premissarum et conclusionis.

Decimo quarto, termino syncategorematico in propositione vocali posito correspondet in mente proprius conceptus distinctus ab omni conceptu correspondente termino categorematico, aliter frustra poneretur in enuntiatione. Sed ille est pars propositionis, quia non potest esse tota apprehensio veridica quia significaret verum vel falsum.

Ad questionem, respondeo: licet conclusio posteriorum rationum magis consonet dictis communibus antiquorum et modernorum, et modo loquendi ipsorum, tamen conclusio priorum rationum videtur magis consona rationi. Ideo, illam sustinebo ad presens.

Ad primum in oppositum: illa dicta philosophorum accipienda sunt de propositione vocali. Aristoteles enim et auctores antiqui fere omnia, qui locuti sunt de propositione et syllogismo, et eorum partibus accipiunt de syllogismo et propositione exteriori. Patet, quia [49b] propositio diffinitur per ipsum primo Posteriorum, quia est oratio, et oratio diffinitur per ipsum quod est vox significativa. Diffinitur autem terminus quod est in quem resolvitur proposito, diffinit etiam syllogismum quod est oratio etc. Dicta, igitur, eorum referenda sunt ad actus extrinsecos, quia notum est ibi esse componem utrum compositioni huiusmodi correspondeat compositio realiter in mente, dubium est differentia propositionum mentalium convenientius cognoscitur et traditur ex proportionem ad exteriores. Tamen potest dici quod dicta eorum de compositione propositionis ex subiecto et predicato possunt aliquo modo reduci et referri ad propositionem mentalem. Potest enim dici composita, primo antecedenter et presuppositive. Presupponit enim plures conceptus

incomplexos mediantibus, quibus formatur et causatur ut questione precedenti dictum est de conceptu comparativo.

Item, potest dici composita equivalenter et implicite. Nam ex illis prioribus incomplexis conceptibus formatur, quidem, tertius illimitatus continens equivalenter priores et significans hoc esse vel non esse huiusmodi, quasi foret compositus ex illis mediante quoddam conceptu verbali, quasi copula media. Et ita equivalet illis incomplexis in significando nominaliter et verbaliter et distincte vel indistincte. Et sic de aliis modis continendo illos per illimitationes quandam absque repugnantia, sicut de intentione divina vel sicut de nutibus religiosorum, vel de voce imposta ad idem significandum, sicut dicetur infra respondendo ad duodecimum.’

Item, potest dici composita quadam similitudine et proportione. Est enim conceptus comparativus significans hoc esse vel non esse huiusmodi, et quasi componens aliquid cum aliquo vel dividens aliquid ab aliquo, et comparans hoc alicui secundum identitatem vel distinctionem. Et ita in quadam similitudine est compositio, tam ex subiecto quam signo eius quod comparatur et a quo incipit intellectus procedere et ex predicato, quasi signo eius ad quod proceditur.

Item, potest dici componi obiective et representative non necessario realiter, sed in quadam similitudine, quia res apprehenditur tali apprehensione quasi illi apprehensioni corresponderet quoddam intelligibile compositum ex eo quod attribuitur, vel ex eo quod comparatur, et ex eo cui comparatur.

Ad secundum, per idem.

Ad tertium, negatur maior, nisi antecedenter et presuppositive, vel in quadam equivalentia et continentia implicita et similitudine. Sic etiam Deus intelligit quod omnis est animal, non quod omne animal sit homo. Et tamen in Deo non est distinctio subiecti et predicati, nec est actus communior et minus communis, in propositione igitur mentali, conceptus correspondens subiecto propositionis vocalis potest dici ‘subiectum’, sicut presupponitur, immo coexigitur tamquam exhibitio determinata eius quod comparatur et a quo, quasi principio, incipit processus habitualis comparativus et conceptus correspondens predicato propositionis vocalis potest dici predicatum et ibi concurrat tamquam talis exhibitio obiecti cui aliquid comparatur, et quod

apprehenditur quasi finis et terminus compositionis et quasi attributum alteri et conceptus comparativus et copulativus, qui est realiter apprehensio veridica potest dici copula ut est actualis comparatio huius intelligibilis, ut sic apprehensi ad idem vel alterum intelligibile, ut sit apprehensum. Alio modo, conceptus comparativus dicitur virtualiter et implicite et equivalenter subiectum et predicatum subiectum, quidem, ut exhibet quoddam intelligibile, tamquam principium compositionis et quatinus equivalet conceptui correspondenti subiecto exteriori. Et dicitur predicatum quatinus exhibet idem vel alterum intelligibile, tamquam terminum ad quem comparisonis, et quatinus equivalet conceptui incomplexo correspondenti predicato exteriori. Alio modo intelligibile subiectum quatinus est principium quod comparatur et cui [50a] aliquid attribuitur vel attribui significatur dicitur ‘subiectum’, et quatinus intelligitur ut terminus ad quem seu ut illud quod attribuitur alicui dicitur ‘predicatum’. Ad probationem illius assumpti, ille diffinitiones primo dantur de predicabilibus exterioribus. Si vero referantur ad actus interiores, sic exponitur species est que predicatur de pluribus, id est conceptus specificus est conceptus cui subordinabile est predicabile de pluribus, vel conceptus specificus est conceptus communis in representando res singulares. Sic quod ex illo antecedenter exactu cum conceptibus individualibus formabilis est apprehensio verisimilis de singularibus, etc. Huiusmodi autem apprehensionum aliqua significat quod essentialiter et per se est hec res; quedam autem qualis est essentialiter et intrinsece, quedam autem qualis est accidentaliter, quedam quanta est etc. Et per hunc modum salvatur coordinatio predicamentalis, licet illa primo referenda sit ad exteriora, secundum modum et formam loquendi philosophorum accepta.

Ad aliam confirmationem: conceptus verbalis non est realiter pars apprehensionis intellectualis veridicem. Sed ideo dicitur ‘semper nota eorum que de altero predicantur’, aut quia proprie et verbaliter sumptum numquam est subiectum, sed predicatum exterioris enuntiationis; aut quia non habetur naturaliter sine apprehensione complexa, sicut conceptus nominalis.

Ad quartum, sicut ad primum, “illa enim ars ut tradita est a philosophis”, referenda est primo ad exteriora, et ex illis consequenter nota est correspondens distinctio apprehensionum complexatum interiorum et consequenter notum est qui discursus intellectuales sunt convenientes, et qui non, quia propositionibus exterioribus aliis et aliter dispositis correspondent in mente alie apprehensiones complexe equivalentes, quo ad illationem conclusionis.

Ad aliud, per idem: varietas ei propositionum mentalium explicatur per varietatem diversarum propositionum exteriorum, licet non sit interius compositio realis et materialis, sicut exterius, sed tantum implicite et virtuali equivalentia, quia ad eius veritatem requiritur et sufficit idem, sicut si componeretur et sic equivalet quoad illationem et exigentiam, sicut si haberet partes, quarum una sic, et alia aliter supponet; immo, ex suppositione arguitur in oppositum, quia si propositio mentalis non sit nisi aggregatio conceptuum incomplexorum semper conceptus, idem eodem modo supponet quibuscumque addatur, quia semper eadem eodem modo exhibebit naturaliter non habens respectum et ordinem ad aliud signum cui prius subordinetur.

Ad quintum, patet ex dictis.

Ad sextum, negatur consequentia. Ad primam probationem, negatur consequentia, nisi sumendo consequens iuxta sensus supradictos. Ad secundam, negatur consequentia, non enim dicitur equivoce sumi ex hoc quod ipsi sic et taliter sumpto correspondent varii conceptus, quorum unus est incomplexus, cui subordinatur ut signum completum et adequatum, et alter est conceptus equivalens priori et cui subordinatur in significando ut signum diminutum et incomplexum. Sed ex eo quod alius et alius conceptus incomplexus sibi correspondet et mediante alio et alio imponitur et cuilibet in significando subordinatur ut signum completum,

Ad tertiam, negatur consequentia, quia conceptus proprii correspondentes sunt varii.

Ad septimum, propter illud argumentum, non oportet ponere compositionem formalem apprehensionis veridice, nec oportet tali apprehensioni correspondere aliquod intelligibile tantum complexe significabile et distinctum ab omni entitate incomplexo significabili. Differentia enim et distinctio apprehensionum, secundum complexum et incomplexum non est primo sumpta ex differentia talium obiective intelligibilium complexe et incomplexo significabilium, quia hec differentia intelligibilium sumitur eque ex differentia signorum, patet ex terminis cum dicitur 'complexe significabile' vel 'incomplexo si- [50b] -gnificabile'. Non enim dicitur huiusmodi apprehensio complexa ex eo quod sibi correspondeat intelligibile complexe significabile.

Item, si propositio mentalis sit naturaliter et physice composita ex conceptibus incomplexis, sequitur quod non significat aliquod intelligibile distinctum ab intelligibilibus incomplexis

incomplexe significabilibus per partes illius. Probo, quia vel illud intelligibile significatur per conceptum nominalem, qui subiicitur. Et propositum, aut per conceptum verbalem qui predicatur et iterum propositum, aut ambobus simul iunctis.

Contra: conceptus subiecti significabit unam eius partem et conceptus predicati aliam, ergo compositio ex illis signis incomplexis non significabit, nisi compositionem ex intelligibilibus significatis per conceptus incomplexos. Ergo, illud intelligibile complexe non est nisi illa plura intelligibilia incomplexe simul sumpta. Dicendum, igitur, quod differentia complexi et incomplexi est primo differentia signorum exteriorum et inde translata est ad apprehensiones correspondentes et apprehensio veridica. Ideo, dicta est complexa: primo, quia naturaliter non formatur nisi mediantibus incomplexis pluribus. Secundo, quia equivalet in significando propositioni exteriori compositae et propositio exterior composita ei correspondet et subordinatur, ut signum completum et adequatum.

Tertio, quia implicite et equivalenter et virtualiter continet conceptus incomplexos nominalem et verbalem et implicite significat nominaliter et verbaliter, et ita significat quasi foret composita materialiter et physice ex conceptibus extremis incomplexis mediante copula quasi quoddam unibili.

Quarto, dicitur complexa in quadam similitudine non solum intrinsece, secundum implicitam continentiam et virtuale equivalentiam. Sed etiam quia est actus comparativus alicuius ad aliquid secundum identitatem, vel distinctionem et quasi compositivus affirmando vel divisivus negando, quia attribuit significative aliquid alicui vel removet. Et inde sequitur quod est compositiva obiective, vel realiter in similitudine. Per illam enim concipiuntur quasi plura, et concipiuntur quasi uniri vel dividi.

Ad octavum, licet illi apprehensioni formaliter simplici, posset subordinari unicus terminus ut signum adequate correspondens, sicut est de verbis prime vel secunde persone. Tamen hoc fieri generaliter vel ut in pluribus non erat conveniens. Primo, quia differentie et varietates propositionum, et varia acceptio et suppositio terminorum et eorum proprietates magis innotescunt per expressas compositionem et terminis incomplexis. Et consequenter magis instruimur et dirigimur de differentiis et varietatibus propositionum mentalium ex varia compositione et ordinatione propositionum mentalium ex varia compositione et ordinatione

eorundem incomplexorum. Secundo, quia preter terminos subordinatos conceptibus incomplexis, oportuisset etiam pro paucis rebus imposuisse quasi infinita nomina, quia de qualibet re possunt formari quasi infinite propositiones.

Ad nonum, patet ex dictis in questione precedenti respondendo ad quintum.

Ad decimum, negatur secunda pars antecedentis. Ad primam probationem, negatur prima consequentia, quia non subordinatur nec correspondet ipsi apprehensioni veridice tamquam signum completum et adequatum, quomodo hoc nomen 'homo' correspondet conceptui incomplexo specifico homini, sed tamquam signum parziale et incompletum, et tamquam pars signi adequate correspondentis, sicut etiam syllaba correspondet et subordinatur in significando conceptui correspondenti dictioni cuius syllaba est pars. Nota tamen quod hec copula 'est' non imponitur ad significandum propositionem neque distincte, neque indistincte, nec ut signum completum, neque ut signum incompletum, quomodo nomen 'propositionis' imponitur ad significandum illud mediante conceptu communi incomplexo, sicut nomen 'domus' significat omnem domum mediante uno conceptu. Ad secundam probationem [51a] dictum Philosophi debet sic intelligi quod, quamvis copule verbali non correspondeat in mente proprius conceptus distinctus a totali apprehensione veridica ut pars eius, tamen ipsa non est propositio nec significat verum neque falsum, quia correspondet ei ut signum diminutum et pars signi completi. Et quia ille conceptus comparativus non potest naturaliter haberi, nisi habeatur conceptus extremi incomplexi. Et quia significat compositionem et unionem vel identitatem et unitatem alicuius ad aliquod, et huiusmodi unionem impossibile est intelligere, nisi presupposita intellectione quasi duorum extremorum, quorum hoc comparatur et attribuitur illi. Hec autem copula 'est' non exprimit extrema, nec subintelliguntur hec magis quam illa. Ideo, talis copula ex se nihil significat, neque verum, neque falsum.

Ad undecimum, negatur minor, immo ratio est ad oppositum, quia si apprehensio complexa non est nisi huiusmodi aggregatio, tunc intellectus habens conceptum Petri et conceptum Pauli non potest formare istam "Petrus currit", qui formet istam "Paulus currit". Dicendum, igitur, quod requiritur tertius actus equivalens istis duobus et implicite continens illos, dubium tamen videtur an sit aliquis conceptus verbalis incomplexus correspondens termino verbali adequate, an terminus verbalis solum correspondeat et subordinetur apprehensioni complexe. Tamen, ut signum incompletum sicut verbo prime persone vel secunde, correspondet apprehensio



complexa et verbo impersonali. Sed differentia esset in hoc, quia per conceptum verbalem prime vel secunde persone concipitur determinate aliquid, et presupponitur conceptus nominalis determinatus propter circumstantiam persone formantis vel persone demonstrate cui significat. In conceptu autem verbali tertie persone, non concipitur sic determinate aliquid per modum subiecti cui aliquid attribuitur, puta actus importatus per verbum.

Ad duodecimum, illud eodem modo procedit de apprehensione divina et nutibus religiosorum et planctu infirmi, dicendum quod non significat nec exhibet formaliter modis significandi et exhibendi repugnantibus, sed exhibet quodam modo illimitato et continente virtualiter et implicite et equivalenter modos diversos qui formatur modis significandi in signis incomplexis sunt impossibiles, et ille modus illimitatus et virtualis explicatur per varios modos formaliter impossibiles. Continet ergo modos formaliter significandi qui divisim formaliter conveniunt signis incomplexis circumscribendo rationes secundum quas foret repugnantia. Cum igitur dicitur quod significet idem in recto et in obliquo singulariter et pluraliter, potest dici quod non proprie et formaliter cum limitatione et negatione vel precisione, sed quodam modo illimitato equivalenter continente huiusmodi modos proportionaliter, sicut de intensione divina respectu omnium virtutum. Huiusmodi enim modi proprie et formaliter sumendo sub limitatione et precisione conveniunt tantum signis incomplexis. Cum autem dicitur quod significabit, exhibebit quam idem distincte et indistincte intuitive et abstractive negatur. Cum enim dicit intellectus quod hec albedo demonstrata est color huiusmodi apprehensio veridica et intuitiva non abstractiva huius albedinis, qui equivalet in enuntiando conceptui proprio et intuitivo huius albedinis. Sed omnem aliam albedinem et omnem colorem alium exhibet abstractive et indistincte; apprehensio, igitur, secundum quam intellectus dicit quod homo est animal rationale exhibet explicite hominem, non autem implicite, sicut per conceptum simplicem specificum, nisi in virtute et equivalentia, quia exhibet illud idem et ostendit quid sit.

Ad decimum tertium, conceditur quod hypothetice correspondere potest unus conceptus, sicut et unicus actus iudicativus quo nec iudicatur sic esse vel non esse, sicut significatur per antecedens vel consequens. Tamen **[51b]** non correspondet unus actus hypothetice, nisi illi cuius propositiones categorice sunt naturaliter compossibiles in intellectu. Consimiliter de consequentia sylogistica seu apprehensiva qua formaliter apprehenditur hoc sic se habere, si illud ita se habet, vel ideo sic se habet, quia illud ita se habet ut ille actus supponit et coexigit

plures propositiones mentales simul naturaliter existentes causantes huiusmodi actum comparativum.

Ad decimum quartum, negatur secunda pars antecedentis. Terminus enim syncategoreumaticus non habet conceptum proprium simplicem sibi correspondentem et cui subordinetur adequate, ut signum completum, sed subordinatur apprehensioni complexe, tamquam signum diminutum, et pars signi completi probatur primo, quia talis terminus per se sumptus aliquid significaret, sicut et terminus categoreumaticus, quia significaret illud quod significatur per proprium conceptum mediante quo imponitur, ut signum ei adequate subordinate.

Item, omnis terminus natus est subiici vel predicari cui correspondet proprius simplex et distinctus conceptus incomplexus adequatus in significando. Patet, quia natus est stare pro illo obiecto conceptibili quod exhibetur per illum conceptum correspondentem.

Preterea, de conceptu correspondente negationi arguitur, quia si conceptus correspondens isti orationi ‘non homo’ sit conceptus compositus ex conceptu specifico hominis et conceptu alio simplici correspondente negationi sit *a* conceptus negationis et sit *b* conceptus specificus hominis, tunc dicendo “non homo movetur”, subiectum est conceptus compositus ex *a* et *b* supponit pro asino vel lapide, sed non ratione ipsius *b*, quia *b* nullo modo exhibet rem que est equus vel lapis, ergo tantum ratione partis que est *a*. Ergo *a* per se primo supponit pro lapide, igitur *a* est natus per se et primo supponere personaliter et subiici et predicari; igitur, est conceptus categoreumaticus non minus quam *b*.

Preterea, aliquis conceptus exhibet precise rem que est homo, aut non, sed omnem aliam rem ab hominibus aut indifferenter exhibet hominem et omnem aliam rem. Si primum, contra: tum quia non posset stare nisi pro homine, tum quia equaliter potest addi conceptui cuicumque aliarum rerum. Si secundum, contra: tum quia indifferenter potest addi conceptui equi sicut conceptui hominis, igitur si non exhibet homines sequitur quod non exhibet equos. Si tertium, contra: quia indifferenter posset stare pro homine sicut pro equo vel lapide, probo, quia cum indifferenter et uniformiter significet et exhibeat homines et equos non impediretur supponere pro hominibus propter *b* conceptum sibi additum, quia *b* conceptus natus est per se stare pro hominibus.

Preterea, aut per *a* concipitur eius obiectum ad se absolute, aut comparative in respectu ad alterum. Si primum, contra: videtur contradictio quod sit negatio intentionalis sive intellectualis, qui intellectus neget aliquid ab alio. Ideo, enim, dicitur conceptus negativus, non qui in se sit formaliter aliquod positivum, sed quia significative negat et dividit aliquid ab aliquo. Si secundum, igitur, per *a* circumscripto omni alio actu concipitur aliquod intelligibile in habitu ad aliud, et non nisi ad aliud in habitu discretionis et divisionis alicuius ab aliquo, igitur est conceptus categorematicus cui potest correspondere oratio vel predicabile relativum.

Preterea, videtur quod omnis complexa apprehensio negativa sit falsa et implicans contradictionem, quia erit formaliter composita ex omnibus partibus affirmative oppositis, cum additione ipsius *a*; igitur, includit formaliter et intrinsece affirmativam contradictoriam; igitur, significabit formaliter et explicite contradictorie opposita, quia conceptus anime manentes formaliter in sua realitate integra non perdunt, neque mutant suam significationem naturalem propter additionem alterius [52a] conceptus. Dices ita arguitur de negativa exteriori. Dicendum quod non, quia exterior nihil significat neque verum, neque falsum, nisi in quantum subordinatur tali mentali apprehensioni, talis autem apprehensio mentalis negativa non ponitur a me includere formaliter apprehensionem illam que est affirmatio opposita. Ideo, negativa non significat formaliter hoc esse huiusmodi, cuiusmodi esse significatur per affirmationem.

Preterea, aut huiusmodi conceptus est categorematicus aut syncategorematicus. Si primum, igitur et huiusmodi termini sunt categorematici. Si secundum, contra nullus est conceptus syncategorematicus. Primo, quia aut diceretur syncategorematicus, quia per se sumptus nihil exhiberet intellectui et hoc non, quia omnis conceptus anime est naturale signum et cognitio alicuius obiecti, et per se sumptus non est naturaliter cognitio et exhibitio alicuius obiecti ad quod terminetur, numquam fiet cognitio propter appositionem aliorum; aut ideo dicitur 'syncategorematicus', quia non potest naturaliter esse per se in intellectu sed necessitate naturali coexigit alios. Et hoc non, quia ita est de conceptu verbali et de conceptibus respectivis et de apprehensionibus sensibilium communium vel sensibilium per accidens. Contra: imponitur ad significandum mediante aliquo conceptu, igitur subordinatur in significando alicui conceptui determinato, sed non categorematico, igitur syncategorematico. Secundo, terminus qui uniformiter et univoce captus additur pluribus predicabilibus vel orationibus alterius rationis habet proprium et distinctum conceptum alium ab illis. Termini syncategorematici sunt

huiusmodi. Ergo, maior patet, quia univocatio vel equivocatio non convenit termino, nisi ratione conceptus sibi correspondentis. Si, igitur, sibi non correspondent nisi varii conceptus alterius rationis, sequitur quod sumitur equivoce et difformiter. Minor enim probatur: signum universale et negatio et copula sumuntur uniformiter et univoce in istis “omnis homo non est albus” et “omnis equus est albus”.

Confirmatur: terminus habens propriam univocationem vel equivocacionem aliam ab univocatione vel equivocacione quorumque terminorum categorematicorum habet proprium et distinctum conceptum, vel proprios conceptus distinctos a conceptibus correspondentibus terminis categorematicis. Sic sunt huiusmodi termini, neque ‘in’, ‘per’, ‘ex’, ‘ab’, habent proprias equivocaciones. Unde, quarto Physicorum, esse in aliquo dicitur multipliciter, unde Socratem ‘esse in domo’, et ‘Platonem esse in vico’, est ‘esse’ in uniformiter et univoce. Sed ‘Petrum esse in domo’ et ‘albedinem in pariete’ est ‘esse’ in equivoce. Et sola multiplicitas videtur esse in termino syncategorematico.

Tertio, specialiter de negatione. Si isti enim orationi ‘non homo’ correspondet unicus conceptus simplex sit ille *a*, tunc aut *a* exhibet precise ea que sunt homines, aut precise alia ab hominibus, aut tam homines quam alia ab hominibus. Si primum, contra: 4 Metaphysice, capitulo 6, ‘homo’ non significat idem quod ‘non homo’, nisi secundum equivocacionem, tum quia non supponeret pro aliis ab homine, nec verificatur de illis. Si secundum, contra: tum quia contradictio est intellectum concipere non hominem non concipiendo hominem et formaliter apprehendere de aliquo quod sit non homo, nulla cogitatione habita de homine vel habere descriptionem et quid nominis huius quod dico ‘non homo’ non cognoscendo hominem; tum quia proferens ‘non homo’ generat in audiente conceptu hominis, igitur hec oratio significat, igitur et conceptus ei correspondens. Si tertium, contra: quia tunc, ut supra, ‘homo’ et ‘non homo’ significarent idem, tum quia se habent ut magis commune et minus commune et predicaretur hoc de illo, et sicut de aliis.

Ad primum, dico quod non correspondet nec subordinatur in significando alicui conceptui ut signum adequatum et completum [52b] subordinatum, sed conceptui complexo, ut signum incompletum, ut de syllaba respectu conceptus correspondentis termino categorematico.

Ad secundum, negatur maior de terminis syncategorematicis sufficit quod non respondeant sibi primo conceptus alterius rationis mediantibus, quibus primo imponantur et quibus subordinantur, ut signa completa ut de syllaba respectu dictionis, vel potest dici quod sibi in primo correspondet unus conceptus communis complexus secundum ultimam resolutionem cui subordinatur ut signum incompletum.

Ad confirmationem, conceditur quod per se sumptus habet univocationem vel equivocationem et tamquam signum totale in proposito. Sola enim oratio videtur habere huiusmodi univocationem vel equivocationem. Ideo, enim, ‘Petrum esse in domo’, et ‘Paulum esse in vico’, dicitur esse in univoce, quia utrique correspondet esse in aliquo, ut esse in locante vel continente, et ita resolvendo statur ad unam descriptionem, non sic in omnibus.

Ad tertium, conceditur tertia pars, *a* enim conceptus correspondens huic orationi ‘non homo’ exhibet distincte quantitatem humanam, sed confuse exhibet omne aliud ab homine sicut hec oratio ‘omne aliud ab homine’. Unde, Anselmus *De casu diaboli*, capitulo 16, inquit quid significet iste terminus ‘nihil’, utrum significet nihil, aut significet ‘aliquid’. Dicit sic: “nihil quantum ad significationem non differt ab eo quod dico non aliquid, significat enim omnem rem removendo et destruendo. Sed nullam rem significat constituendo, sed potius removendo, similiter de hoc quod dico ‘non homo’. Nullus enim intelligit quid significet ‘non homo’, nisi intelligendo quid significat homo, et quia sic nihil significat aliquid non sequitur quod nihil est aliquid, sed nihil quia non significat aliquid constituendo, sed potius removendo”, hec Anselmus.

Ad primam, igitur, improbationem, dicendum quod non significant idem precise vel proprie loquendo, quia illud de quo et pro quo verificabile est unum, non est idem ei de quo vel pro quo verificabile est reliquum, nec est huiusmodi cuiusmodi intelligibile requiritur ad verificationem alterius.

Ad secundam probationem, negatur consequentia propter modum significandi. Terminus enim, quidam, interdum significat pro quibus non potest supponere verificando propositionem; in transcendentibus autem, ut intelligibile vel non intelligibile nihil aliquid et non aliquid, licet sit equalis ambitus in representando, tamen terminus negativus non potest supponere pro aliquo suo significato, nisi ex una parte fiat restrictio, et ex alia parte fiat ampliatio, ut ‘non ens’ est

intelligibile et li 'ens' restringit ad ea que sunt actu entia, sic etiam hec oratio aliud ab ente significat ens, et non potest pro ente supponere proprie. Ad argumentum in principio questionis patet ex dictis ad septimum.

Questio tertia.

Viso de actu intellectus comparativo, videndum est ultimo circa primam distinctionem de actu voluntatis relativo. Et quero utrum voluntas referens illud quo utitur in illud quo fruitur, velit utrumque per unicum actum simplicem. Quod non, quia uti et frui sunt actus distincti, sunt enim de per se differentiis volendi. Sed actus quo voluntas vult illud quo utitur est uti et actus quo vult illud quo fruitur est frui, igitur.

Contra: ubi unum propter alterum, utrobique unum tantum, secundum Boethium.

Prima conclusio: contingit voluntatem velle aliquod obiectum non pure absolute, sed formaliter in ordine et relative et in alterum. Probatur, quia voluntas non minus est virtus collativa et comparativa, nec minus potens referre unum obiectum ad aliud quam intellectus. Sed intellectus potest sic intelligere, ergo.

[53a] Secunda conclusio: contingit voluntatem creatam velle aliquid propter alterum et in relatione ad alterum, volendo utrumque per unicum actum simplicem. Probatur: illud quod offertur voluntati et in quod fertur voluntas non sub aliqua ratione bonitatis vel diligibilitatis in se et absolute, sed precise sub ratione diligibilitatis propter alterum et in relatione ad alterum. Si diligitur, non diligitur proprie et distincto actu, sed eodem actu quo diligitur illud ad alterum. Sed contingit aliquid dilectum et volitum propter alterum sic offerri voluntati, igitur. Minor patet, quia contingit potionem amaram et sumptionem eius presentari voluntati, non sub aliqua ratione diligibilitatis et eligibilitatis in se absolute intrinsece, sed tantum in habitudine ad sanitatem et quatinus conferens ad sanitatem ita quod, hac habitudine circumscripta, voluntas non amaret nec diligeret, sed omnino refugeret sumere potionem amaram. Maior probatur, quia si voluntas habet actum proprium et distinctum quo formaliter vult et diligit *a* obiectum, ita quod actus non terminatur, nisi ad *a* obiectum, sequitur quod *a* habet in se secundum rem formaliter, vel secundum apparentiam et ostensionem propriam bonitatem et diligibilitatem, secundum quam terminat illum actum ratione dilectionis recte. Per illum enim actum diligitur aliqua

bonitas existens vel apparens et per illum voluntas tendit in aliquam bonitatem preexistentem vel apparentem. Non autem in bonitate ipsius *b* propter quod vult *a*, quia ille actus non terminatur obiective ad *b*, sed tantum ad *a*; igitur, per illum actum diligitur *a* ut bonum in se, eodem modo potest argui de dilectione moraliter bona et virtuosa, secundum quam aliquis vult assumere penam sibi ut conferente ad virtutem et perfectionem moralem. Hec autem ratio non videtur probare quod habitualis notitia et habitualis dilectio finis non sufficit ad dilectionem actualem distinctam talis entis ad alterum, quia tunc haberetur actus dilectionis proprius quo formaliter et precise voluntas diligeret tale ens in se et absolute et in se sisteret.

Tertia conclusio: omnis voluntas volens aliquid actualiter et formaliter propter alterum et in ordine et relatione ad alterum fertur in utrumque unico actu simplici. Probatur: intellectus cognoscens formaliter aliquod obiectum in relatione ad alterum cognoscit utrumque unico actu, ut patet ex superioribus, igitur pari ratione de voluntate.

Preterea, sit *a* actus per quem formaliter voluntas diligit ens ad finem et per illum non diligit finem, et sit *b* actus quo formaliter diligit finem. Et per illum non diligit ens ad finem circumscribendo omnem alium actum. Probo quod per istos actus non diligit actualiter et formaliter hoc in ordine ad illud, quia *a* actu existente precise in voluntate per potentiam dei, aut per *a* actum diligo formaliter *c* obiectum propter finem, et in ordine et respectu ad finem et referendo in *d* finem, ut gratia alterius et ut ordinatum ad aliud aut non. Sed diligo *c* in se et absolute. Si primum, habetur propositum, quia contradictio est voluntatem actualiter et formaliter sic diligere *c* in habitudine ad *d* finem, et referendo in *d* finem cum voluntas habeat aliquem actum circa *d*, sicut contradictio est intellectum actualiter ferri super hoc obiectum in relatione ad illud qui habeat aliquem actum circa illud.

Si secundum, igitur, propter appositionem ipsius *b* actus, voluntas per *a* actum non diligit *c* obiectum in relatione ad aliud ut finem. Probatio huius consequentie, quia voluntas non diligit *c* obiectum, aliter quam prius propter solam appositionem illius actus, qui nullo modo est dilectio ipsius *c*, nec habet *c* pro obiecto.

Confirmatur: si *a*, propter appositionem ipsius *b*, est dilectio sui obiecti aliter quam prius, igitur est actualiter et formaliter dilectio huius obiecti non absolute, sed **[53b]** in relatione ad alterum, igitur per ipsum, ut distinctum ab omni alio actu volo formaliter hoc in habitudine ad alterum,

igitur per ipsum volo aliquid quod non prius, igitur est unus actus respectu utriusque obiecti. Eodem modo potest argui de *b* actu quo voluntas diligit *d* finem non in se et absolute, sed ut finem seu causam finalem.

Preterea, diligere hoc propter illud ut finem gratia cuius aut est voluntatem aliquo uno actu relativo determinate ferri in hoc et in illud, et habetur propositum, aut est precise habere dilectionem illius et hoc non, quia hoc non magis diligeretur propter illud quam econtra. Et quia voluntas potest aliqua simul diligere. Licet non diligit hoc propter illud aut hoc est dilectionem huius causare dilectionem illius et hoc improbatur infra questione quarta.

Contra ultimas duas conclusiones arguitur primo quod Aristoteles, tertio Ethicorum, capitulo 5, ubi probat quod electio non sit voluntas, arguendo sic: “voluntas est respectu finis. Electio autem est respectu eorum que sunt ad finem, igitur electio non est voluntas”, hec ratio non videtur valere, sed idem actus potest esse respectu finis et entis ad finem, immo electio que est respectu entis ad finem esset entia respectu finis. Secundo, ille actus non est formaliter dilectio finis quo manente stat voluntatem non diligere finem et definit voluntas diligere finem. Sed dilectio entis ad finem est huiusmodi. Probo, quia si quis propter amorem Dei incipiat orare, aut aliquod aliud opus agere voluntas, volet et aget illud opus propter Deum, sed contingit quod destinando cogitare de Deo potest voluntas libere perseverare in eodem opere, ergo volet et aget illud continue propter Deum non diligendo actualiter Deum.

Tertio, idem actus esset uti et frui, immo esse uti esset frui. Consequentia patet, quia amor finis propter se est fruitio et amor entis ad finem, propter finem est usus. Consequens est falsum, quia videntur differentie opposite actuum voluntatis et habent modos oppositos tendentie et terminationis ad obiecta, puta propter se et non propter se, sed propter aliud. Dices: consequens non est inconueniens respectu diuersorum. Contra: primo, uti et frui sunt differentie actuum voluntatis divisive, igitur differunt genere vel specie, ergo numero ex quinto Metaphysice, igitur realiter. Antecedens probatur, quia velle videtur primaria sui divisione distingui in velle aliquid propter se et propter alterum. Etiam amandi actus videtur primo distingui in amorem amicitie, quo scilicet aliquid diligitur propter se et in amorem concupiscentie, scilicet quo diligitur aliquid alteri et propter alterum, sed frui est alicui amori inherere propter se, et uti est referre aliquid in alterum.



Confirmatur, plus distinguitur usus a fruitione quam usus ab usu supposita equali diversitate ex parte obiectorum, quia ista continentur sub una differentia primarie divisionis actuum voluntatis, sed usus realiter distinguitur ab usu, igitur.

Item, contra responsionem, pari ratione diceretur quod idem actus est dilectio respectu unius et tristitia respectu alterius et consequenter posset idem actus esse in summo dilectio, et in summo tristitia. Consimiliter, quod idem actus est virtus et vicium respectu diversorum. Consimiliter, quod idem actus intellectus esset scientia respectu unius et error vel falsitas respectu alterius. Etiam quod idem actus esset beatitudo respectu unius obiecti et miseria respectu alterius obiecti, et idem esset simul miser et beatus, et per augmentationem illius actus erit summe miser et simul summe beatus. Et quanto fiet beator, tanto fiet miserior et sic de quibuscumque differentiis oppositis et divisivis.

Item, quod sit fruitio respectu entis ad finem. Probo: illo obiecto fruitur potentia, quod est per se obiectum fruitionis formaliter et absolute, sed creatura erit huiusmodi. Probo, quia erit per se obiectum actus qui **[54a]** est fruitio.

Item, voluntas eodem actu diligeret aliquid in se et absolute, et aliquid aliud, igitur relative. Patet consequentia, quia frui est amore inherere alicui propter se, secundum Augustinum. Et ita illud diligitur non in relatione ad alterum; usus autem est amor obiecti in relatione ad aliud falsitas consequentis. Probatur, quia impossibile est intellectum eodem actu concipere aliquid absolute a se, et aliud in relatione, quia idem conceptus esset in diversis predicamentis, scilicet absoluto et respectivo.

Quarto, sequitur quod omnis diligens ens ad finem propter finem habet duas fruitiones eiusdem finis. Sequitur etiam quod in patria quilibet beatus habet plures fruitiones Dei beatificas. Consequens est falsum, quia illud est superfluum. Probatur consequentia, quia voluntate habente dilectionem finis propter se potest voluntas diligere noviter aliquid, propter finem; ergo, acquirit novum actum qui est respectu entis ad finem et respectu finis simul secundum te; ergo, qui est fruitio, sed prior manet secundum te, et videtur necessario preexigi, ut causa illius actus relativi, quem ponis respectu utriusque obiecti, sicut notitia absoluta obiecti presupponitur notitie comparative eiusdem et similiter in patria, cum advenit novus beatus, ceteri noviter diligunt illum et in relatione ad Deum, ut finem qui novo actu simul diligunt creaturam et Deum; igitur,

accipiunt novam fruitionem Dei, sed prior fruitio que est essentialis beatitudo non tollitur; ergo, plures fruitions Dei sunt simul, et quelibet est beatifica, quia sequitur visione Dei.

Quinto, voluntas nolens et odiens hoc propter aliud et in ordine ad aliud non eodem actu tendit et fertur in utrumque, igitur. Similiter de dilectione et volitione. Antecedens probatur, quia interdum voluntas odit *a* propter *b*, quod non odit, sed amat. Sed amat sicut odit Petrum propter Deum quem amat. Ergo, actus odii quo fertur in hoc non est actus amoris quo diligit illud.

Dices: negatur antecedens, quia idem actus est amor et odium respectu diversorum. Contra: primo, odium naturaliter causat tristitiam et displicentiam et amor, delectationem et gaudium et complacentiam; igitur, idem actus causabit simul in voluntate contrarios effectus et per intensionem illius actus poterit haberi delectatio et tristitia in summo, et ad augmentationem unius non sequitur diminutio alterius, sed augmentatio contra Aristotelem 5 Ethicorum, capitulo penultimo.

Item, idem individuum non est sub generibus vel speciebus oppositis in eodem predicamento. Sed amor et odium velle et nolle sunt differentie generice vel specificie divisive actuum voluntatis, igitur.

Item, sequitur quod Deus oditur. Probo: illud oditur quod est per se obiectum odii. Deus erit huiusmodi, quia erit per se obiectum actus, qui est odium et actus odii per se terminatur ad ipsum, ergo. Maior probatur, quia aliquid odiri non est nisi ipsum esse obiectum odii, sic proportionabiliter aliquid intelligi non est nisi ipsum esse obiectum actus intellectus, et aliquid sentiri non est nisi ipsum esse obiectum actus sentiendi.

Confirmatur: *b* actus eque naturaliter et necessario et eque per se terminatur obiective ad Deum, sicut ad peccatum. Ergo, non minus oditur Deus per illum quam peccatum. Consequentia probatur, quia non est ratio quare peccatum dicitur odiri per illum, nisi quia ille actus obiective terminatur ad peccatum. Antecedens patet, quia ille actus non minus habet ex sua natura quod terminetur ad Deum quam ad peccatum, immo videtur magis per se et principaliter terminari obiective ad Deum, quia propter quod unumquodque tale et illud magis, et quia privatio non est per se nata terminare actum anime, quia non est intelligibilis, nisi per accidens.

Confirmatur, qualis est in se essentialiter et formaliter actus taliter denominatur obiectum ab illo secundum denominationem extrinsecam. Obiectum enim denominatur ab actu, secundum naturam intrinsecam actus, ut si actus sit sensatio dicitur [54b] sentiri si sit auditio dicitur audiri. Sed ille actus est essentialiter et intrinsece odium non minus quam amor, igitur eius obiectum non minus denominabitur oditum quam amatum.

Sexto, sequitur quod idem actus erit maior et perfectior seipso. Probo, quia cum diligitur aliquid propter finem, dilectio finis est maior et perfectior quam dilectio entis ad finem ut Dei quam creature. Perfectius enim diligitur finis, quia primo posteriorum propter quod unumquodque tale, etc. Et ponitur ibi exemplum specialiter cum quid diligitur propter aliud. Dices: idem actus non est maior seipso, sed per eundem actum diligunt duo, et tamen unum minus diligitur quam alterum. Contra, probo quod si magis diligitur Deus quam creatura, sequitur dilectionem Dei esse maiorem sic, tantum et tam perfecte diligit aliquod obiectum quanto et quam perfecto amore diligitur, et quantus et quam perfectus est amor quo diligitur. Sed secundum te tanto et tam perfecto amore, diligitur creatura sicut Deus, quia eodem actu. Ergo, tantum et tam perfecto amore diligitur creatura, sicut Deus. Maior probatur primo: quanta est dilectio in voluntate, tantum est voluntas diligens, sed quantum est voluntas diligens, tantum est obiectum dilectum, igitur.

Secundo, aliquod ens magis diligi a voluntate, aut est actum dilectionis esse maiorem et perfectiorem et propositum, aut obiectum esse maius, et hoc non, quia contingit idem obiectum magis et minus diligi ab eadem voluntate nunc et prius. Ex his arguitur sic illa equaliter vel essentialiter amantur que equali vel non inequali amore amantur. Sed que eodem omnino actu amantur equali vel non inequali amore, igitur. Maior probatur, quia magis vel minus amari non est formaliter, nisi secundum differentiam amoris. Propter enim solam intensionem vel remissionem actus ceteris paribus dicitur aliquid magis vel minus amari, sicut de magis et minus cognosci, secundum maiorem vel minorem perfectionem et claritatem notitie.

Confirmatur: cum dicitis quod per *a* actum magis et perfectius diligitur *b* quam *c*, quero quare et in quo formaliter sit hec inequalitas et maioritas et excessus, ut huiusmodi plus si in actu voluntatis, sequitur propositum, si in obiecto arguitur ut prius.

Confirmatur, quero penes quid mensuratur et attenditur et quantificantur magis et minus diligere obiective, si penes quantitatem et latitudinem dilectionis habetur propositum, si obiecti contra ut prius. Idem enim obiectum potest et magis et minus diligere, immo contingit obiectum imperfectius magis diligere.

Confirmatur: si per *a* actum voluntas diligit magis Deum quam creaturam, sit *b* gradus quo diligit Deum seu quo plus diligitur Deus, et quo diligit Deum excedit diligere creaturam, et sit *c* gradus quo diligitur creatura Tunc, aut *b* et *c*, distinguuntur, aut sunt idem. Si secundum, ergo creatura diligitur *b* gradu, et ita non minus perfecte quam Deus. Si primum, igitur *b* gradus est distinctus et maior quam *c*. Sed iste gradus est in actu diligendi, ergo est distinctio actuum diligendi hoc et illud.

Item, iste actus est eque perfectus et intensus amor respectu creature, sicut respectu Dei et quatinus terminatur ad creaturam et fertur super creaturam, sicut quatinus fertur in Deum. Ergo, per istum actum eque amatur creatura sicut Deus. Consequentia patet, quia tam perfecte amatur obiectum quam perfectus est amor respectu eius, quatinus est respectu eius. Antecedens probatur, quia quam perfectus et intensus est iste actus in se formaliter, tam perfectus et intensus est respectu sui obiecti, quia secundum totam et precisam latitudinem sue entitatis est amor sui obiecti, et quia quam perfectum et intensum est aliquid in se formaliter et intrinsece, tam intensum et perfectum est cuicumque comparatur ipso non diminuto, quia comparatio eius ad aliud non imperficit ipsum.

Septimo, sequitur quod huiusmodi actu non magis diligeretur creatura propter Deum [55a] quam Deus propter creaturam, et per consequens omnis utens creatura uteretur Deo vel fruens Deo frueretur creatura. Probatio consequentie primo, quia ex quo actus est omnino indistinctus et per se et essentialiter ex natura sua terminatur non minus ad hoc obiectum quam ad illud, et eque causatur ex propria dilectione huius sicut ex propria et distincta dilectione illius, quia actus comparativus extremorum causatur ex actibus propriis et distinctis extremorum non videtur ratio quare per illum tertium actum diligatur hoc obiectum propter illud magis quam econtra.

Confirmatur: illa voluntas utitur Deo que diligit Deum referendo in aliud. Patet ex diffinitione usus que ponitur supra. Sed voluntas per illum actum est huiusmodi, quia per illum actum non fertur in Deum pure absolute, quia est actus essentialiter relativus et comparativus, sicut igitur

per actum intellectus relativum et comparativum non cognoscitur obiectum absolute, sed relative, quia ille actus est de predicamento respectivo ita de actu voluntatis comparativo.

Confirmatur: si huiusmodi actus vel voluntas per huiusmodi actum fertur difformiter in hoc obiectum et illud aut hoc difformitas est formaliter in obiectis, aut in actu. Si secundum propositum, quia erit distinctio actus. Si primum, contra: tum quia, obiectum non est illud quo formaliter voluntas diligit, nec est illud quo difformiter est diligens, tum quia sequitur quod quantum Deus differt a creatura, tantum differet diligere Deum et creaturam, ergo diligere Deum esset Deus, quod est falsum.

Per idem arguitur quod non eodem actu diligitur Deus et oditur peccatum propter Deum, quia tantum differret odire peccatum et diligere Deum quantum Deus differret a peccato.

Octavo, aut huiusmodi actus eque primo et immediate respicit illa obiecta et sine ordine terminatur ad illa, et fertur et tendit in illa, aut non, sed ordine quodam. Si primum, ergo per huiusmodi actum non magis diligitur hoc propter illud quam contra, nec magis est fruitio huius quam illius, quia non magis principaliter diligitur hoc quam illud. Si secundum, aut igitur per prius et immediatius fertur in Deum finem, aut creaturam. Si primum, contra: primo, quia per actum tendentem in duo obiecta ordine quoddam voluntas procedit ab obiecto primario et immediato ad obiectum secundarium et mediatum. Sed per actum quo voluntas diligit creaturam propter Deum seu ens ad finem propter finem voluntas tendit et procedit a creatura ad Deum, quia refert creaturam in Deum, ut in finem et terminum ad quem tendit, et in quo sistit et quiescit. Secundo, quia actus magis specificatur a primario obiecto, igitur ille actus magis dicendus est fruitio quam usus, quod est falsum, quia distinguendo usum contra fruitionem nihil est ita simpliciter et proprie actus utendi, sicut actus quo creatura refertur in Deum et ens ad finem propter finem.

Tertio, quia finis est circumstantia actus, sed circumstantia extrinseca non est obiectum primarium et principale, sed potius quasi indirectum et circumstans. Si secundum, contra: quia primarium obiectum dilectum diligitur principalius quam obiectum secundarium, quia est ratio diligendi alterum et ita propter ipsum et rationem ipsius diligitur obiectum secundarium; ergo, magis diligitur, ergo finis non magis diligitur, nec est ratio diligendi ens propter finem.

Nono, sequitur quod actus utendi esset perfectior actu fruendi, accipiendo fruitionem ut distinguitur ab usu, puta dilectionem finis propter se et dilectionem entis ad finem propter finem. Consequens est falsum, tum quia beatitudo stat primo et principaliter, non in actu utendi, sed fruendi et dilectionis Dei propter se *b* caritatis, sicut habitus caritatis est nobilior omni alio habitu; tum quia per se principalis et immediatus actus caritatis est nobilior omni alio secundo actu. Sed per se et principalis actus caritatis est dilectio Dei propter se. Secundarius autem est dile- [55b] –ctio primi, propter Deum. Consequentia probatur, quia actus quo cognoscerentur duo obiecta perfectior est actu quo cognosceretur alterum illorum tantum et non perfectius, neque distinctius, ergo pari ratione actus voluntatis quo diliguntur duo obiecta est perfectior actu quo diligitur alterum tantum illorum, et non perfectius diligitur. Sed ille actus quem ponis habet creaturam et Deum pro obiecto, actus autem fruitionis quo diligitur Deus propter se et in se, ut distinguitur ab actu utendi habet tantum Deum pro obiecto et non perfectius diligitur Deus per illum quam per alium. Probo, quia per alium diligitur Deus super omnia, et ut finis et propter se et sequitur cognitionem eque perfectam, et est actus eque intensus, immo causatur a pluribus et perfectioribus causis, quia non solum a notitia Dei, sed a notitia et amore creature excitantis ad Deum diligendum. Et ita omnem rationem bonitatis obiecti, et motivum quod habet iste habet ille et amplius.

Decimo, causa distinguitur a causato, sed cum ens ad finem diligitur propter finem, dilectio finis causat dilectionem entis ad finem. Dilectio enim finis movet ad dilectionem eorum que sunt ad finem, et illa ideo diliguntur, quia finis diligitur.

Ad ista respondeo: videtur enim eque procedere contra actum voluntatis divine quo fruitur se et alia diligit propter ipsum, et quo diligit bonos, et odit peccata et quo magis diligit et approbat magis bonum. Ad primum, igitur, Aristoteles per illud argumentum probat solum quod non sunt idem convertibiliter, constat enim quod electio est actus voluntatis, sed non est sufficiens descriptio.

Ad secundum, negatur minor. Ad probationem, cum definitur actu cogitare de Deo, non vult nec diligit actualiter et expresse illud opus propter Deum, et non manet actus secundum quem formaliter et expresse volebat, vel proponebat, vel imperabat illud opus propter Deum fieri. Tamen continuatur opus virtute alicuius notitie et virtutis habitualis amoris Dei, ideo dicitur fieri propter Deum.

Ad tertium, licet huiusmodi actus relativus creature in Deum proprie et absolute loquendo sit usus non fruitio conceditur, tamen secundum responsionem positam quod est usus entis ad finem et fruitio finis, si sit respectu ultimi finis. Ad primam improbationem, dicendum quod differentie divisive alicuius communis de genere respectivo possunt convenire eidem obiective et materialiter respectu diversorum, ut ratio potest dividi secundum similitudinem et dissimilitudinem equalitatem et inequalitatem, que tamen dicuntur de eodem respectu diversorum, dicuntur autem opposite, quia non conveniunt eidem respectum eiusdem.

Ad confirmationem, idem posset argui de simili et dissimili duplo et dimidio, dicendum igitur, negando maiorem si intelligitur universaliter quod omnis usus plus distinguitur a fruitione eiusdem obiecti quam quisque usus a quocumque usu, quia idem non distinguitur a seipso. Se conceditur quod usus alicuius obiecti plus distinguitur a fruitione eiusdem obiecti quam usus alicuius obiecti ab alio usu vel consimili eiusdem obiecti.

Ad aliud, contra responsionem negatur consequentia. Licet enim quedam denominationes sint sibi invicem opposite et repugnantes, ita ut non dicunt de eodem sive in respectu ad diversa sive in respectu ad idem. Tamen aliquae denominationes respective possunt convenire eidem respectu diversorum non respectu eiusdem, ut idem potest non respectu eiusdem, sed respectu diversorum esse Pater et Filius, duplum et dimidium. Non tamen mortale et immortale, rationale et irrationale, plenum et vacuum, et hoc provenit ex rationibus formalibus talium predicabilium et ex re significata.

Ad aliud, negatur maior. Si ille actus non sit solum fruitio, sed sit etiam simpliciter et absolute usus, vel si non sit obiectum respectu fruitionis ut fruitio est, et sic ille actus non est fruitio respectu illius et quatinus **[56a]** est illius. Ad aliud, aliquid diligere vel intelligi in se absolute potest esse vel proprie et simpliciter, quia nec tamquam principium habitudinis et comparisonis, nec tamquam terminus, nec tamquam illud quod comparatur alicui, et quod referatur in aliud, nec tamquam illud cui aliquid comperetur et ad quod aliquid comperetur.

Alio modo, quia non tamquam principium habitudinis et relationis seu non tamquam illud quod comparetur alicui, et referatur et a quo anima tendat, et procedat in alterum. Primo modo, negatur consequentia. Secundo modo, conceditur consequens.

Ad quartam, negatur consequentia, accipiendo proprie et simpliciter fruitionem in via, et accipiendo fruitionem per se beatificam in patria, quia actus quo formaliter ordinatur creatura in Deum non est proprie et simpliciter fruitio. Sed versus actus autem qui est primo et immediate respectu finis est proprie fruitio, sed accipiendo large fruitionem pro omni dilectione finis recta et ordinata. Consequens non est inconueniens in patria. Est tantum una fruitio per se essentialiter et principaliter beatifica, et illa habet precise aut primario, et directe et immediate Deum pro obiecto. Si autem beatus habet aliquos actus in quibus consistat accidentaliter beatitudo, potest omnes illos referre in Deum per unicum actum in quo non erit principaliter et essentialiter beatitudo voluntatis.

Ad quintum, responsio ibi posita conceditur, sic enim Deus huic unico actu approbat et reprobatur. Ad primam improbationem, idem argumentum est contra alios, quia si sunt diversi actus causabunt simul contraria. Dicendum igitur quod non universaliter odium causat tristitiam. Patet in beatis, etiam in via non universaliter odium rei non accedentis causat tristitiam, sed si odium accedat et contingat contra efficacem vel simplicem et absolutam voluntatem alicuius, tunc causabitur tristitia non delectatio. Si autem fiat liberatio vel immunitas, tunc causabitur delectatio.

Ad aliud, verum est de eo quod est per se in predicamento, ut predicabile et subiicibile, vel ut conceptus et signum, tamen idem materialiter et obiective potest pertinere ad diversa genera, ut Socrates pater et agens.

Ad aliud, negatur maior, si actus non sit precise odium vel si non sit obiectum illius actus quatinus est odium. Et si ille actus non sit odium respectu illius et quatinus est eius. Ad confirmationem, negatur consequentia. Natura enim illius actus est quod sit odium et respuitio huius et amor illius sicut demonstratis duobus actibus *a* et *b*, quorum unus sit amor alicuius obiecti, et *b* sit odium eiusdem tunc eque per se terminatur uterque ad illud obiectum, et tamen unus est amor illius et alter est odium eiusdem.

Ad confirmationem aliam, illud non est universaliter verum de quocumque determinatione sumptibili a tali actu et de quocumque obiecto illius actus, et precipue de denominationibus respectivis, et non respectu eiusdem convenientibus alicui, conceditur tamen quod quodlibet



obiectum alicuius denominatur conveniens, secundum aliquem modum convenientem ad illum actum.

Ad sextum, responsio ibi posita conceditur, ad primam improbationem conceditur tantum et tam perfecte diligitur aliquod obiectum etc. Dicendum quod li ‘tantum’ et li ‘tam’ perfecte, si attendatur penes intensionem gradualem et physicam seu materialem actus dilectionis. Conceditur quod tantum diligitur creatura per illum actum quantum Deum, si autem attendatur penes acceptationem et appreciationem, et prepositionem seu preponderationem obiectivam, sic negatur maior, scilicet quod tantum secundum appreciabilitatem obiectivam diligatur aliud obiectum quanto amore secundum gradualem intensionem diligitur.

Item, posset minor uniformiter distingui, quia creatura diligit tanto **[56b]** et tam perfecto amore, sicut Deum potest intelligi secundum causalitatem et perfectionem gradualem formalem, et intrinsicam actus amoris. Et sic conceditur minor, vel secundum appreciabilitatem et ponderationem extrinsecam et obiectivam, et sic negatur, quia licet ille actus amandi sit idem materialiter et philosophice, tamen est in infinitum magis amor Dei quam creature, quia per illum in infinitum plus appreciatur et ponderatur et proponitur Deus creature. Deinde, idem argumentum potest reduci contra alios, non solum de actu divine dilectionis quo diligit seipsum et creaturam, sed etiam de actibus nostre voluntatis, quia si alio et alio actu diligitur Deus et creatura, possibile est quod sint actus eque intense, quomodo igitur plus diligitur Deus quam creatura. Si vero actus amoris Dei sit duplo intensior, igitur Deus per illum non magis diligitur quam creatura, nisi in duplo; igitur, aliqua creatura in duplo melior recte diligeretur tantum, quantum Deus sicut; igitur, Deus diligitur in infinitum magis quam creatura per actum non infinitum intensiorem, ita per actum non magis intensum naturaliter potest magis diligi quam creatura.

Ad primam improbationem maioris, procedit in primo sensu, et sic conceditur conclusio. Ad secundam probationem, obiectum magis diligi potest dupliciter intelligi et attendi: aut ut li ‘magis’ notet intensionem gradualem physicam actus, vel ut notet appreciationem et preelectionem obiectivam, et hi modi differunt, quia aliquis interdum magis intensive gradualiter diligit aliquod repertum, et magis complacet et gaudet in illo quam de aliquo bono equali vel maiori quod numquam perdidit. Mallet enim illud perditum numquam fuisse repertum quam istud perdi. Hoc docet Augustinus libro 8 Confessionum, capitulo 5. Sic etiam pastor plus

gaudet super una ove reperta quam super 99 relictis in deserto, Luc. 15. Licet illas plus diligat, sic quia mallet illam perditam perivisse quam 99, et in eodem capitulo filio revertenti, qui perditus fuerat, fecit pater maius gaudium quam seniori, quem tamen plus diligebat.

Ad rationem, igitur dicendum quod obiectum magis diligi est in uno sensu dilectione maiori secundum gradualem intensionem formaliter diligi, et in alio sensu est ipsum ad aliquod maius bonum acceptari, vel ipsum sic virtualiter diligi, quod diligens virtute illius amoris plus fugeret illud perdi quam privationem alterius, si necesse esset alterum perdi et tolli, et alicui preponere hoc cui non preponeret illud. Iste, igitur, secundum sensus non est precise secundum maioritatem intrinsecam et physicam actus, nec precise secundum realem maioritatem obiecti intrinsecam obiecto, sed secundum maioritatem obiecti in approbatione anime, et acceptione et appreciatione et prestitutione anime; vel secundum maioritatem virtualem alicuius amoris, quia virtute illius amans plus vellet agere vel pati pro acquisitione vel conservatione huius quam illius, et plura dare vel refugere quam pro illo. Ex his patet ad formam.

Ad confirmationem potest dici quod non oportet illud plus, secundum maiorem excessus esse realiter et materialiter in aliqua re, sed est in actu dilectionis virtualiter et implicite, ut dictum est. Actus enim ille est elicitor et continet implicite actus exteriores absolutos. Est etiam in obiecto acceptive et approbative et imputative per voluntatem que prestituit sibi libere illud tamquam maius bonum, sicut cum intellectus iudicat hoc esse magis bonum, sed non ita sit huiusmodi maiortas non est in aliquo realiter et formaliter, sed est in obiecto secundum apparentiam et representationem. Illud etiam plus et maius potest attendi in obiectis, quibus voluntas preponeret, et hoc non illud. Pluribus enim vel maiori dono diligibili preponeret hoc quam illud.

Ad aliam confirmationem, per idem.

Ad aliam, si per *a* gra- [57a] -dum notetur determinatus gradus intensivus materialiter et physice in actu. Patet quid sit dicendum, quia non maiori gradu diligitur tunc Deus quam creatura. Si vero notetur quantitas apprehensionis et prestitutionis obiective, sic *a* gradus et *c* gradus non sunt idem. Sed distinguitur sicut obiectum dilectum dicitur distingui ab alio dilecto, et sunt gradus obiective dilecti, et unus in infinitum excedit alterum secundum prestitutionem

voluntatis, quia si hoc in infinitum augeretur, vel in infinitum fieret ei additio, adhuc preponeret et eligeret illud voluntas.

Ad aliud, si li 'eque' sumitur univoce et uniformiter in antecedente et consequente consequenter conceditur consequens, si difformiter negatur consequentia.

Ad septimum principale, negatur consequentia, quia per idem argueretur de volitione divina.

Ad probationem, dicendum quod aliquis actus sive intellectus, sive voluntatis habet ex natura sua ferri super aliqua obiecta determinato modo, et alius actus super eadem obiecta. Alio modo, et secundum aliam habitudinem, ita quod repugnantia est idem obiectum respectu eiusdem se habere simul uniformiter, sed ut utrique actui, sicut non est idem actus quo percipitur Petrus ut Pater Platonis, et actus quo formaliter concipitur Plato ut Pater Petri. Ad confirmationem, voluntas potest diligere aliquid in relatione ad aliud dupliciter, vel referendo ipsum ut finibile in aliud, et gratia cuius. Alio modo, referendo ipsum ut causam finalem in aliud ut causatum, quod est gratia ipsius sicut cum diligitur Deus formaliter ut finis aliorum primo modo voluntas utitur eo quod refert sic, non secundo modo.

Item, voluntas dicitur ferri relative et respective super aliud obiectum dupliciter: uno modo, quia fertur in illud quasi in principium a quo procedit, et a qua incipit comparatio mentalis. Et sic voluntas non fertur in Deum relative cum diligit creaturam propter Deum et in relatione ad Deum. Alio modo, quia fertur in illud tamquam in finem et terminum ad quem tendit per huiusmodi processum comparativum et quasi in terminum ad quem compositionis, et tamquam in illud non quod proprie comparat et refert, sed cui comparat et refert. Et sic diligitur Deus relative terminative cum diligitur creatura propter Deum, et in ordine ad Deum. Ad aliam confirmationem, dicendum quod hec difformitas non est proprie realiter et materialiter in aliquo, sed est in actu voluntatis virtualiter et implicite vel equivalenter. Actus enim ille habet quandam illimitationem equivalet actibus difformibus quos continet, quorum unus est dilectio finis et alius esset dilectio entis ad finem precise et ex illis est causabilis. Et sic continet virtualiter difformitatem, quia per huiusmodi actum illa obiecta sic diliguntur, quod virtute illius dilectionis voluntas mallet in casu perdere creaturam quam Deum, et tenere Deum quam creaturam. Et aliqua preponeret creature que non Deo, et quedam postponeret Deo que non creature tali.

Virtute etiam illius amoris aliter se haberet, et operaretur circa hoc et circa illud, sic etiam solet dici Deum velle aliter ea que vult voluntate signi, et ea que vult voluntate bene placite vel efficaci.

Item huiusmodi difformitas, licet extrinsece materialiter correspondeat interdum in obiecto, puta quando est ordinata dilectio, tamen non oportet quod huiusmodi difformitas sic correspondeat in obiectis realiter, sed imputative, vel prestitutive, quia per talem actum voluntas prestituit sibi hoc tamquam principalem dilectum, et magis bonum et causam finale, alius autem tamquam secundarium.

Ad octavum, licet non sit ibi proprie realiter ordo, quia actus est unus et obiecta contingit non esse, vel non habere ordinem cor- [57b] –respondentem tamen in quadam similitudine ad ea in quibus reperitur proprie et realiter ordo potest dici quod actus usus per quem voluntas diligit ens ad finem in ordine ad finem fertur primo et immediate super ens ad finem. Talis enim operatio anime relativa et comparativa est quasi quidam processus et tendentia specialis incipiens ab ente ad finem et tendens in finem quasi in terminum ad quem talis processus.

Ad improbationem, negatur assumptum loquendo de primaritate immediationis terminative. Licet enim sit obiectum primarium, quia immediatum a quo incipit quasi processus et tendentia anime, tamen non est principale dilectum, quia non ideo alterum obiectum mediatum diligitur, quia hoc obiectum immediatum diligitur, nec ideo alterum apparet bonum, quia hoc immediatum obiectum appareat bonum, nec est ratio diligendi illud aliud, nec in ipso, si sit vel terminatur ipsa tendentia voluntatis, sed ab eo tendit in aliud, quasi in terminum ad quem.

Ad nonam, ceteris paribus actus fruendi est potior, et prestantior, quia per ipsum perfectius et immediatius et purius fertur voluntas in Deum, negetur igitur consequentia. Ad probationem, est dicendum quod non eque perfecte et sincere et directe et immediate diligitur Deus per hunc et illum, quia per alterum diligitur Deus ut obiectum totale dilectionis, vel ut primum et immediatum. Non autem per alterum, sed creatura et amor creature admiscetur ut obiecti primi et immediati. Unde, argumentum videtur posse reduci contra alios, quia quamvis diversis actibus diligatur creatura propter Deum, videtur quod diligere creaturam propter Deum includeret istos duos actus, quorum unus causet alterum. Non autem diligere Deum propter se,

sic etiam argueretur quod actus exterior circa creaturam propter Deum esset principalior quam actus factus propter Deum et immediate ordinatus in Deum.

Ad decimum, maior non videtur vera, licet enim aliqua dilectio entis ad finem causetur interdum ex aliqua dilectione finis a qua distinguitur, non tamen omnis dilectio entis ad finem propter finem causatur ex qualibet dilectione finis, inexistente termino. Nec hoc est universaliter, et precise aliquid diligi propter finem dilectione finis causare dilectionem illius, unde occasione illius ponatur.

Quarta conclusio: voluntatem creatam actualiter diligere aliquid propter finem et in relatione et ordine ad finem non est precise et formaliter dilectionem finis causare dilectionem illius. Probatur, quia si actus per quem vel per quos diligo creaturam propter Deum causarentur immediate a Deo, et mihi infunderentur adhuc diligerem creaturam propter Deum; ergo hoc non est formaliter et precise dilectionem huius causare dilectionem illius. Antecedens probatur, quia diligere ordinate sicut nunc et quia per eundem actum vel per eosdem actus voluntas fertur uniformiter in objecta illorum actuum, et illi actus uniformiter terminantur ad sua objecta a quibus causantur, quia mere naturaliter terminantur ad illa, sicut etiam de actibus intellectus.

Preterea, non est licitum diligere finem propter ens ad finem, et Deum propter creaturam sicut econverso, sed licitum est sic diligere dilectione entis ad finem. Probo, quia licitum est ut consideratio mei proprii esse, et beneficii creationis et conservationis et redemptionis et aliorum beneficiorum recordatio moveat me ad dilectionem Dei et causet in me dilectionem Dei creature enim amate, et beneficia amata interdum nos movent et excitant ad amorem et laudem Dei et sancti docent nos ex amore creaturarum exurgere in amorem crea- **[58a]** -toris: nec ex hoc creatura diligitur ut finis.

Preterea, magis bonum et magis amatum non diligitur propter minus bonum et minus amatum. Sed contingit amorem magis boni et magis amati causari ex amore minoris boni et minus amati. Contingit enim interdum ut concupiscentia et desiderium minoris boni sit causa et principium maioris concupiscentie et desiderii, et respectu maioris boni.

Preterea, diligere finem propter se positive non est habere duos actus, quorum unus causet alterum, et quilibet sit precise respectu finis, sed est amare finem amore comparatio finis

ad seipsum vel ad alia, quibus preferitur ut causa. Igitur, pari ratione diligere aliquem propter alterum ut finem non est precise dilectionem huius causare dilectionem illius.

Preterea, cum dicitur voluntas diligere aliquid propter finem, li 'propter' notat causalitatem finalem et non causalitatem effectivam, nisi per accidens, sed si dilectio huius causat dilectionem illius, in hoc non notatur per se causalitas, nisi effectiva, vel magis quam finalis, igitur.

Item, convenientius diceretur quod homo diligit creaturam propter dilectionem Dei quam propter Deum, quia sic dicendo li 'propter' expressius notat causalitatem effectivam unius dilectionis respectu alterius.

Preterea, diligere actualiter formaliter ens ad finem propter finem, et in ordine ad finem est diligere ens ad finem amore relativo et comparativo non absoluto. Sed non ex hoc quod dilectio huius obiecti causaret dilectionem huius diligitur, igitur illud amore relativo et comparativo ad istud, sicut si notitia huius causet notitiam alterius, vel alia notitia eiusdem non ex hoc cognoscitur hoc relative ad illud, ut si notitia exterioris sensus causet notitiam in phantasia vel in intellectu, et si notitia creature causet notitiam Dei, non ex hoc cognoscitur Deus propter creaturam ut causam finalem, vel si cognitio causet dilectionem non ex hoc dilectio esset relativa.

Contra, illud sufficit ad hoc ut creatura diligatur propter Deum, quo posito circumscripto omni alio, diligitur creatura propter Deum. Sed posito quod dilectio Dei ordinata causet dilectionem creature circumscribendo illum tertium actum comparativum diligitur creatura propter Deum. Probo, quia si Deus summe diligitur, et virtute huius dilectionis moveatur voluntas ad dilectionem proximi, diligitur proximus propter Deum, quia dilectione recta et ordinata que elicitur sicut et a quo oportet, igitur superfluum est ponere tertium actus. Et confirmatur: non oportet quod Deus sit per se obiectum illius dilectionis qua diligitur creatura propter Deum, ergo non oportet esse tertium, qui habeat utrumque pro obiecto. Antecedens probatur, quia cum dicitur creatura diligere propter Deum, li 'propter Deum' est circumstantia actus finis, est circumstantia extrinseca actus, sed non est necesse actum voluntatis virtuosum habere circumstantias pro obiecto. Patet de loco et tempore, in quibus fit de modo vel de causa

a qua fit, igitur non est necesse quod Deus sit obiectum illius actus, quo diligitur creatura propter Deum.

Secundo, si *a* diligitur propter *b* ut finem, igitur in omnia *a* diligitur quia *b* diligitur, igitur dilectio ipsius *b* est causa dilectionis ipsius *a*. Secunda consequentia patet eo, quia li ‘quia’ notat causalitatem. Confirmatur conclusio et prima consequentia sic: illud est causa alicuius quo convenienter respondetur ad questionem factam propter quid, de eo propter quid enim notat causam, et tot modis dici- [58b] –tur causa quot modis dicitur propter quid, 2 Physicorum et 5 Metaphysice. Sed si *a* diligitur propter *b* ut finem, ad questionem factam quare diligitur *a*. Respondetur convenienter, quia diligitur *b*, et ita dilectio finis convenienter assignatur pro causa diligendi ens ad finem, igitur.

Tertio, cum voluntas diligit *a* propter *b*, importatur vel includitur aliqua causalitas qua li ‘propter’ notat causalitatem. Aut igitur hec causalitas se tenet ex parte actuum voluntatis, et habetur propositum, quia non denotatur nisi unam dilectionem causari ab alia, et non nisi dilectionem *b* esse causam dilectionis *a*; aut se tenet ex parte rei, et hoc non, quia voluntas potest libere diligere *a* propter *b*, quamvis in re nulla sit realis causalitas in *b* in respectu *a*.

Quarto, si voluntas diligit *a* propter *b* ut finem, igitur voluntas prestat sibi *b* pro fine ipsius *a* sive in re extra sit *b*, sive causa similis ipsius *a* sive non. Quero, igitur quare prestat *b* ut causam finalem, si per hoc quod amat *b* tali amore virtute cuius movetur ad amandum *a*, et sic habetur propositum. Si per hoc quod utrumque diligit simul, et diligit hoc in habitu ad aliud, patet quod non sufficit quia quodlibet illorum diligitur in habitu ad alterum, et quia voluntas potest diligere hoc in habitu ad aliud, licet non diligit hoc propter illud ut finem, ut Patrem et Filium in divinis, si per hoc quod preferit et preponit hoc illi et plus amat vel appreciatur hoc quam illud. Patet etiam quod hoc non sufficit, quia multa sunt amata, quorum unum voluntas preferit alteri in bonitate et amabilitate, et tamen non diligit hoc propter illud ut finem, gratia cuius nec sibi prestat hoc finem illius, ergo si voluntas diligit *a* propter *b* ut finem, igitur *b* est causa finalis illius dilectionis qua diligitur *a*, est enim finis propter quem diligitur *a*, ergo dilectio ipsius *b* causat effective dilectionem ipsius *a*. Probatur consequentia, quia in agentibus a proposito causare per modum finis non est nisi amare finem tali amore, virtute cuius amoris causetur ille effectus, igitur si *b* est finis propter quem diligitur *a*, sequitur quod dilectio ipsius *b* movet ad producendum effectum dilectionis respectu *a*.

Sexto, sicut se habet intellectus ad cognoscere hoc propter illud, sic voluntas ad velle vel nolle hoc propter illud, sed intellectum cognoscere hoc propter illud non est intellectum cognoscere hoc in habitudine ad illud unico actu relativo, sed magis est cognitionem huius causare cognitionem illius. Probo, quia intellectus cognoscens duo alba esse similia, cognoscit hoc in habitudine ad illud, nec tamen dicitur cognoscere hoc propter illud magis quam econtra. Sed dicitur cognoscere et scire conclusionem propter premissas, quia notitia premissarum causat notitiam conclusionis, vel quia premissae in intellectu sunt causa conclusionis primo Posteriorum, igitur.

Septimo, si creaturam diligere propter Deum non sit dilectionem Dei causare dilectionem creature, sed sit unico actu relativo diligere creaturam et Deum, sequitur quod diligere creaturam propter Deum eque potest esse illicitum et esse indifferens ad recte et non recte diligere, sicut diligere creaturam absolute propter Deum. Probo, quia ille unus actus qui habebit Deum, et creaturam pro obiecto, poterit causari ex concupiscentia vel cupiditate proprii commodi, et ex aliquo amore reciproco ad amantem.

Octavo, hec videtur intentio Augustini secundo [59a] De trinitate, capitulo sexto, ubi ponit quod si quis velit videre fenestram, ut per fenestram videat transeuntea, non erit unica voluntas que finem habeat visionem transeuntium, sed sunt due voluntates, id est due volitiones, quarum una erit voluntas videndi fenestram, et hec habet pro fine visionem fenestre tantum; alia est voluntas, que ex illa nascitur, et cum illa nectitur scilicet voluntas videndi transeuntes. Et hec voluntas habet pro fine visionem transeuntium, ita quod prima voluntas non habet pro fine nisi visionem fenestre, sive illud referat ad aliud, sive non. Aliud etiam exemplum ponit ibi de voluntate videndi cicatricem ut probat ibi vulnus fuisse, igitur.

Ad ista non nego quin possibile sit finem, et ens ad finem sic diligere, quod dilectio finis causabit dilectionem entis ad finem, et consequenter quin posset dici hoc diligere propter illud in isto sensu, quod dilectio illius causat dilectionem huius. Sed dico quod hoc non est actualiter et formaliter diligere hoc in ordine ad illud, nec hoc est formaliter referre hoc in illud uti in finem, gratia cuius ideo est alius modus secundum quem voluntas refert hoc in illud per actum comparativum, vel relativum huius ad illud, sicut intellectus habet formaliter actum relativum huius ad illud.



Ad primum negatur minor. Ad probationem dico quod, etsi illa dilectio creature sit licita et laudabilis, tamen est imperfecta, nec est perfectus usus creature, quia non est actualiter et formaliter relatio creature in Deum, sed tantum virtualiter et inchoative. Ideo, non superfluit alius actus relationis creature in Deum, immo imperfectionis esset in voluntate. Si non posset habere alium actum formaliter comparativum et relativum creature in Deum, sicut intellectus. Ad confirmationem negatur antecedens, ad probationem sive actus virtuosus habeat circumstantias pro obiecto sive non, tamen omnis actus sive virtuosus, sive viciosus, qui est formaliter relativus alicuius ad aliud, et per quem anima fertur super aliquod obiectum in habitu ad alterum habet illud alterum pro obiecto, et ideo si aliqua circumstantia est terminus huius compositionis habitudinis est obiectum illius actus non absolute, quatinus circumstantia, sed quatinus illud cui alterum refertur, igitur.

Ad secundum, si in ista propositione ‘ideo *a* diligitur quia *b* diligitur’ li ‘ideo’ notat causalitatem realem et actualem circa dilectionem *b* respectu dilectionis *a*, negatur consequentia prima. Deus enim diligit creaturam propter seipsum, et tamen ibi non causatur dilectio a dilectione. Si vero notetur causalitas in quadam equivalentia et virtute conceditur prima consequentia. Si enim voluntas diligit *a* propter *b* ut finem, sequitur quod sic diligit *b* finem quod dilectio ipsius *b* cum notitia ipsius *a* causaret statim dilectionem ipsius *a* in voluntate nata recipere dilectionem causatam. Sed tunc negatur secunda consequentia, quia sic ideo Deus diligit creaturas, quia diligit se, et tamen huiusmodi dilectio non causat dilectionem illius, quia eadem est. Ad confirmationem in huiusmodi interrogationibus et responsionibus secundum propositiones causales non universaliter oportet in re extra correspondere causalitatem propriam et veram rei a re. Patet: dicimus enim quod Deus ideo hunc reprobat, quia prescit eius finalem impenitentiam, licet actus prescientie non causet actum reprobandi in Deo, et Socrates ideo est risibilis, quia est homo, licet hominis ad [59b] Socratem non sit realis causalitas. Sufficit igitur causalitas in quadam equivalentia et proportione, et virtuali seu eminenti continentia, ut dicitur infra distinctione 38. Ad tertium dicendum quod in voluntate creata diligitur *a* propter *b* ut finem, semper est causalitas effectiva in quadam dilectione finis respectu dilectionis entis ad finem respectu scilicet dilectionis formaliter taliter entis ad finem in finem, quia ista causatur ex dilectione finis naturaliter presupposita a notitia, quod hoc sit finis gratia cuius illud est.

Item, notatur causalitas effectiva virtualiter in dilectione finis respectu dilectionis entis ad finem, quia dilectio finis est causa vel esset causa et ratio diligendi ens ad finem, etiam si ens ad finem non aliunde prius diligeretur aut etiam si aliunde non esset in eo formaliter et intrinsece propria et absoluta ratio diligibilitatis vel bonitatis.

Item, notatur causalitas finalis in aliquo respectu entis ad finem secundum rem vel secundum prestitutionem voluntatis. Voluntas enim prestituit sibi hoc quasi finem illius et se habet ad illa quasi hoc foret gratia huius, sicut enim aliquid est tale vel secundum rem vel secundum apparentiam et iudicium intellectus, ita aliquid est finis secundum rem, vel secundum prestitutionem voluntatis.

Item, ibi notatur causalitas finalis in tali obiecto respectu dilectionis. Voluntas enim prestituit sibi illud tamquam finem sue dilectionis et tendentie. Si igitur dilectio erit recta, erit causalitas finalis in re, sive autem sit recta, sive non, semper notatur causalitas finalis in obiecto ut super ipsum fertur talis dilectio, quia secundum habitudinem causalitatis finalis, sicut proportionabiliter de actu intellectus quo apprehenditur hoc, ut gratia illius sive sit apprehensio vera, sive non.

Ad quartum, voluntatem prestituere sibi *b* pro fine ipsius *a* est voluntatem secundum dilectionem ferri super *a* et *b*, ut feratur super *a* tamquam causatum finale, et super *b* tamquam finem gratia cuius sit *a* et per actum volitionis et dilectionis referre hoc in illud secundum talem habitudinem sicut proportionabiliter intellectus secundum suam operationem refert hoc ut causatum in illud ut causam finalem sive ita sit in re, sive non, quomodo Deus per actum dilectionis diligit creaturas propter se ut finem prestitutum.

Ad quintum, si concederetur utrumque consequens non haberetur contra propositum, quia quedam dilectio finis presupponitur que causat illam dilectionem relativam entis ad finem; si autem inferatur quod non habetur dilectio finis, nisi que est causa dilectionis entis ad finem, negatur secundo consequentia. Ad probationem, assumptum non est universaliter verum quod habita dilectione solius finis adhuc finis posset dici causa finalis illius amoris, non tamen causaretur ille amor ex alio amore finis, igitur. Illud autem assumptum est verum de effectu exteriori importato a voluntate amante finem. Prima etiam consequentia non videtur valere, quia

Deus diligit creaturas propter seipsum ut finem, licet nihil sit causa illius dilectionis, scilicet obiecti dilecti propter alterum.

Ad sextum, conceditur quod sicut non universaliter intelligere hoc in habitudine ad illud est cognoscere hoc propter illud, etiam non universaliter velle hoc in habitudine ad illud est velle hoc propter illud, quia Deus diligitur ut finis creaturam gratia cuius sunt creature, et ita diligitur in ordine ad creaturas et non propter creaturas, cum autem dicitur quod intellectum cognoscere hoc propter illud est cognitionem illius causare cognitionem huius, dicendum quod intellectum cognoscere hoc propter illud potest dici dupliciter, vel quia cognitio illius causat cognitionem hu- [60a] –ius, vel quia cognoscet hoc in habitudine ad illud non qualitercumque, sed quia cognoscet sic se habere, quia illud sic se habet, vel potest negari similitudo de intellectu et voluntate, quia intellectum referre hoc ad illud ut causatum in causam finalem non est intellectionem illius causare cognitionem huius, nec etiam est intellectum cognoscere hoc propter illud et tamen voluntatem secundum dilectionem referre hoc in illud ut in finem est voluntatem diligere hoc propter illud. Li ‘propter’ igitur aliud et aliud denotat secundum quod applicatur variis rebus.

Ad septimum, negatur consequentia, quia huiusmodi actus non habet determinate circumstantiam finis debiti sive hoc sufficiat, nec possit malefieri, sive non sufficiat. Sed possit non benefieri propter defectum alterius circumstantie debite, vel propter appositionem alicuius circumstantie indebite. Potest tamen dici quod si talis dilectio causetur ex inordinata concupiscentia, et ex amore proprii commodi iam non est creature propter Deum ut finem ultimum et summe dilectum. Sed potius ut finem sub fine, et ut finem sub ordinatum alteri fini, et relatum in alterum finem.

Ad octavum, patet quod Augustinus non negat quin actus per quem actualiter et formaliter volo videre fenestram ut videam transeuntes posset ferri super omnia alia obiecta ordinate et relative, sed intendit quod ibi non est precise unica volitio, sed presupponuntur due volitiones quarum una est prior, et causa alterius. Prius enim habet voluntatem videndi transeuntes, et hec volitio movet ad volendum accedere ad fenestram.

Dubium an sit aliquis actus voluntatis medius inter frui et uti. Responditur quod sic, quia actus quo voluntas diligit divinum suppositum Patris ut Pater est, et ut distinctum suppositum

est, et ut sumptum sub proprietate relativa conveniente tantum prime persone non est usus, quia persona divina non est utendum nec referendum in aliud ut finem, nec est fruitio. Probo, quia persona vel proprietas relative ut sic non dicit aliquem gradum perfectionis simpliciter, vel aliquem gradum bonitatis diligibilis, quia aliquid tale deesset alteri persone, et illa esset imperfecta, nec ut sic est causa finalis et obiectum beatificans causans et quietans, igitur ut sic non est fruibilis. Secundo, actus quo diligitur Deus ut causa effectiva, puta ut Creator vel conservator, vel redemptor vel beneficii alterius dator non est usus, quia non est utendum Deo secundum Augustinum primo De doctrina christiana, capitulo sexto, et 83 Questionibus, questione 32, nec fruitio. Probo, quia secundum illum actum non diligitur Deus propter se absolute, sed in relatione ad aliud quatinus bonum, et conferens alteri beneficium, et ita beneficium vel beneficiatus est terminus principalis, et obiectum terminans ultimate illum actum, et quod diligitur amore amicitie. Tertio, “virtutes sunt diligibiles propter se, et circumscripto respectu et ordine ad aliud” secundum Ambrosium, ut allegatur distinctione prima capitulo sexto, honestum dicitur quod per se expetendum est. Et secundum Aristotelem primo Ethicorum, capitulo 8, “bonum honestum cuiusmodi est virtus” est appetibile propter se, igitur actus non erit usus, quia uti est referre ad aliud ut finem, nec est fruitio, quia non est fruendum aliis rebus a Deo, sed utendum secundum Augustinum. Quarto, actus voluntatis indifferens vel tantum moraliter bonus non meritorie videtur, nec est usus, nec fruitio. Probo, quia si esset [60b] fruitio Dei, vel usus creature esset bonus. Si autem usus Dei vel fruitio creature esset simpliciter malus. Quinto, actus existentis in mortali circa Deum per quem actum preparatur et disponitur ad gratiam non est fruitio Dei, quia frui Deo non convenit existenti in mortali. Talis enim preponit Deo creaturam, nec est usus quia esset mortalis. Sexto, amor quo quis diligit parentes et consanguineos affectione naturali et ratione cognationis corporalis non est fruitio Dei et usus creature, quia non propter Deum, nec in Deum, secundum Gregorium in omelia, nec est fruitio creature, quia illi dilectioni sacra eloquia non contradicunt. Idem, videtur cum quis amat amicum amicitia et complacentia humana et naturali. Probat, quia vel per illum actum voluntatis sistit in tali obiecto, vel refert ad aliud. Diligit etiam illud vel propter se, vel propter aliud. Si primum, igitur fruitur illa, quia secundum Augustinum frui est amore inherere alicui propter se et 10 De trinitate, “fruemur cognitis in quibus propter se voluntas delectata conquiescit”. Si secundum, igitur, est usus. Confirmatur, intellectus non assentit vero, nec dissentit falso, nisi propter se vel propter aliud, igitur nec voluntas respectu amoris et odii, igitur. Respondeo: frui et uti possunt

sumi multipliciter, et secundum aliquas acceptiones est actus medius et secundum aliquas non frui, igitur circa voluntatem creatam dicitur tripliciter, secundum quod tripliciter potest dici voluntas diligere aliquid propter se, uno modo frui aliquo est amare illud amore absoluto, absque hoc quod actualiter, et formaliter refertur secundum amorem in aliud magis amatum, ut finem gratia cum ius diligatur, et sic frequenter diceremur frui creaturis et amare eas propter se, sed hoc est improprie. Secundo, frui seu amare *a* propter se, est amare *a* non solum absque actuali et formali relatione in aliud, ut finem magis dilectum, sed est sic amare quod amaretur circumscripta notitia actuali, et habituali alterius tamquam finis, ratione cuius foret *a* diligendum, et per consequens sic amare *a* quod quamvis in voluntate non esset actualis, nec habitualis amor alterius ut finis magis dilecti, adhuc anima diligeret *a* et reperiret in *a*, unde diligeret *a*, et sic dicimur frui virtutibus et bono honesto, et sic dilexerunt bonum honestum et virtutem philosophi multi gentiles, multum autem utilia diligimus que non diligeremus nisi forent media ad alterum finem gratia cuius sunt et ad quem conferunt ut edificia, et etiam potio amara, et iuxta hunc modum bestie dicuntur frui cibis delectabilis secundum Augustinum, 83 Questionibus, questione 32. Tertio modo, frui *a* et amare *a* propter se est amare *a* absque actuali et habituali relatione in alterum magis amatum ut finem, gratia cuius diligatur actualiter et habitualiter et accipiendo, et prestituendo positive *a* pro fine ultimato non referibili in aliud, et amare *a* amore repugnante amori relatio ipsius *a* in aliud, ut finem magis amatum ita quod est amor conformis dictamini dictanti *a* esse diligendum propter se ut finis, non autem ut refertur ad aliud, sed ut finis in quo ultimate sistendum est, et sic soli Deo est fruendum. Item, frui potest sumi pro actuali exercitio potentie vitalis ut distinguitur contra otium vel cessationem ab operatione, et sic fruitio est usus, ut dicit Magister, distinctione prima, capitulo secundo. Secundo modo, pro amore alicuius actualiter, et formaliter relatio illius in alterum ut finem, gratia cuius magis dilectum, et sic sumitur proprie et stricte, nec convenit proprie nisi appetitui actu rationali, secundum Augustinum 83 Quaestionibus, questione 32, uti aliqua re **[61a]** non potest nisi animal quod est rationis particeps scire, namque quo quid datum est referendum non advenit rationis ex partibus. Tertio modo pro amore alicuius, etsi non actualiter et formaliter, tamen habitualiter et virtualiter relativo illius in alterum ut finem magis dilectum, et gratia cuius diligatur habitualiter, nec ille amor repugnat amori relativo illius in alterum ut finem, immo sic amans habet cuiusdam alterius habitualement notitiam, et habitualement dilectionem virtute cuius est in potentia accidentali ad statim et prompte diligendum illud amore relativo in alterum, si

intellectus actualiter cogitaret de utroque. Ad hos duos modos utendi reducitur omnis actus nollendi vel odii, quia omne odium et nolle alicuius est actualiter, vel habitualiter relativum illius in aliud dilectum ratione et gratia cuius illud est nollitum vel oditum. Dicendum, igitur, quod quamvis non omnis actus voluntatis sit usus unico tantum dictorum duorum modorum acceptus vel fruitio unico, tantum dictorum modorum accepta, tamen omnis actus voluntatis libere elicited videtur reduci ad usum, secundo vel tertio modo acceptum, vel ad fruitionem secundo vel tertio modo accepta. Si enim voluntas diligit *a*, aut igitur sic quod actualiter vel habitualiter refert illud in alterum ut finem magis amatum, gratia cuius actualiter vel habitualiter diligitur, vel non. Si primum, ergo est usus secundo vel tertio modo. Si secundum, sic dicitur fruitio secundo vel tertio modo.

Item, vel sic diligit illum quod quamvis circumscriberet actualis et habitualis notitia et dilectio alterius ut finis, adhuc voluntas illud diligeret, aut non. Si primum, fruitio, ergo primo vel tertio modo. Si secundum, ergo usus secundo vel tertio modo. Ad primum, in oppositum dicendum quod si sit dilectio ordinata quod erit fruitio, quia illud esset summum bonum. Ad improbationem diceretur quod quamvis proprietates relativa secundum illam rationem sic accepta non dicat formaliter gradum perfectionis, simpliciter tamen ipsa secundum illud quod est formaliter est diligibilis dilectione fruitionis, quia est simpliciter et essentialiter summum et summe perfectionis et bonitatis, vel diceretur quod paternitas divina est formaliter bonitas et perfectio simpliciter, quia etsi non in quolibet supposito sit melius ipsum quam non ipsum, tamen in qualibet essentia melius est ipsum quam non ipsum, sic quod omni essentie cui non convenit est aliqua essentia perfectior, cui convenit nec repugnat summe perfectioni essentie, sed infert essentiam non esse summe perfectam, cui non convenit, nec Filius est imperfectus si sibi deest talis perfectio, tum quia si sibi desit suppositaliter, non tamen essentialiter, quia est essentialiter idem illi, tum quia sibi non deest aliqua perfectio, quam melius sit in quolibet supposito esse quam non esse, et que exigatur ad perfectionem suppositi que inferat perfectius esse aliquod cui inest, omni eo supposito cui deest. Si vero desit sibi quedam ratio perfectionis simpliciter que infert omni essentia cui deest esse aliam perfectiorem cui adest et que infert imperfectionem in essentia cui desit. Sic non est inconveniens filio personaliter non convenire huiusmodi perfectior, dum modo habeat eandem equivalenter personaliter et eandem essentialiter.

Ad secundum, si diligitur Deus quia dator beneficii, sic quod beneficium vel beneficiatus diligatur principaliter et Deus referatur secundum amorem in beneficiatum ut principaliter dilectum, et ut finem, gratia cuius et non ulterius referendum actualiter vel habitualiter in Deum, sic est uti Deo, et est dilectio inordinata. Si vero diligitur Deus amore relativo ipsius ad beneficium seu beneficiatum non tamquam medii ad causam finalem, gratia cuius totaliter vel principaliter. Sed tamquam cause effective ad effectum et terminum sue communicationis ulterius referibilem actu vel habiti in Deum ut causatum finibile in causam finalem, sic est fruitio tertio modo. Ad tertium, si virtutes ipse diliguntur propter se secundo modo, sic dicitur fruitio secundo modo, et est usus tertio modo, quia non repugnant. Si vero diligantur propter se tertio modo, sic est fruitio inordinata. Unde, Magister, distinctione prima, capitulo quarto, et Augustinus primo De doctrina christiana, capitulo 6, “Si rei qua diligitur inheseris atque permanseris, finem in ea ponens letitie tue, tunc vere et proprie frui dicendus es etiam quomodo virtutes propter se diligende sunt”. Patet ibidem.

Ad quartum, si sit primo et directe respectu creature erit usus vel fruitio primo modo, si sit respectu Dei erit quedam fruitio ut infinibilis aliquo. Ad quintum, erit fruitio imperfecta informis et dispositiva ad formatam. Ad sextum, si huiusmodi amor non habeat aliquam circumstantiam caritati repugnantem, nec etiam repugnantem amori relativo illius amati in Deum, et cum illo amore stet quod talis diligat summe Deum sicut finem ultimum, sic est fruitio primo et secundo modo dicta, non tertio modo potest etiam reduci ad usum secundo modo sumptum. Ad argumentum principale, patet ex dictis. Ad tertium, contra tertiam conclusionem. Finis prime distinctionis.